

VIII, 84.

2,807







THRENI
SCHOLAE
GORLICENSIS,

Quibus deplorantur calamitates tempore pestis
veteres ac recentes.

Eiusdem Scholae post dissipationem

Instauratio.

Operam nauante cum collegis

LAVRENTIO LVDOVICO Leobergenfi.


Misericordiæ Domini: quod non con-
sumti sumus.

AN. CHR.

M. D. LXXXVI.

GORLICII

Excusum typis Ambrosij Fritschij



ERVDITIONE
AC VIRTUTE PRAESTANTI-
BUS VIRIS, DOMINO M. BARTHO-
LOMAEO KISLINGO, DN. GREGORIO HAV-
FIO, ET GREGORIO DRYANDRO, Gorli-
censibus, Compat: Collegis, atq; amicis suis
fidelissimis & carissimis. S D.

NON unum tantum Prophetam, à Deo
missum, hodie audit Germania: quem-
admodum alios alijs, ceu in acie, continua
serie succedentes, gens audiuit Israëliti-
ca: sed uniuersus Prophetarum chorus, quamprimum
immenso DEI beneficio, in hac extrema mundi sene-
cta, præter Hebraeam, Graecam, Latinam, etiam Ger-
manicam didicerunt linguam, simul in medium pro-
dierunt: atq; Germaniam una voce, quamuis mortui,
annos iam amplius sexaginta Hebraea, Graeca, Lati-
na, Germanica lingua erudierunt. Proponunt Prophe-
tae doctrinam legis & euangelij, discrimen verae &
falsae ecclesiae: monstrant Christum saluatorem: repre-
hendunt idola, prauas opiniones, vitia & morum im-
pietatem: ostendunt magnitudinem ira DEI aduer-
sus peccata nostra: hortantur ad poenitentiam: per-
seuerantibus contumaciter in delictis predicunt poe-
nas:



nas: monstrant inter ruinas & confusiones imperio-
rum, misericordiam DEI in conseruanda Ecclesia:
eiusdemq; potentiam in reprimendis hostibus verita-
tis: concionantur de iudicio extremo, de pœnis impio-
rum, de regno & gaudio aeterno piorũ. Hanc doctri-
nam scriptorum Prophetarũ sonare hodie in ecclesijs
Germania, è verbi diuini studiosis ignorat nemo.

Ut autẽ Deus olim voce et scriptis Prophetarum
docuit de voluntate sua ecclesiam: vaticinia de futu-
ris euentibus, & consolationes in aduersis proposuit:
ac re ipsa veritatem cum promissionũ, tum commina-
tionum suarũ demonstrauit: ita hodie in similibus ec-
clesiæ calamitatibus & miserijs solliciti: vaticinia
futurorum euentũ, et viuificas consolationes ex ipsis
Prophetarum concionibus petamus. Ac cum Ieremia
scripta historiã quadraginta annorum ante exilium
Babylonicum cõplectantur: & causas tantarũ cala-
mitatum longis concionibus proponant: populi impie-
tatẽ ac scelera viuis colorib. pingant: remedia etiam
salutaria tantorum malorum monstrent: sæpissimè
hoc tempore Prophetæ istius scripta nobis sunt legen-
da, atq; frequenter voluenda: tum diuinationis cau-
sa: ut inde, tanquã è voce cœlitus sonante, discamus:
quis exitus harum arumnarum in ecclesia tandẽ fu-
turus

turus sit : tum propter consolationes, diuinitus in tur-
bulentis publicarum calamitatum procellis proposi-
tas : ne malorum mole atq; pondere victi, animos ab-
ijciamus : atq; in extremam desperationem ruamus.

Nam ut omissis publicis, de nostris agamus re-
bus : audiimus Prophetam graues nobis predicen-
tem pœnas, ob contemptum literarum, & negligentiam
in regenda vita: vidimus harum predictionum euen-
tum: sensimus pœnas: & spectatores fuimus tristis-
simæ dissipationis uniuersi cœtus scholastici. Fuimus
etiam participes, in tantis calamitatibus, misericor-
diæ DEI: experti sumus re ipsa: Deum & velle &
posse seruare cœtus scholasticos, in eiusmodi pœnis ad
ipsum, nomine Filij ipsius unigeniti, Domini nostri
Iesu Christi, confugientes, ac pœnitentiam agentes.
Vidimus Scholæ frequentiam, intra paucos, non dico
menses, sed dies, omnium opinione atq; expectatione
maiores: restituta sunt omnium ordinum studia: so-
nat rursus vox doctrinæ cœlestis inter pueros: adole-
scentes linguarum atq; artium exercēt principia, quæ
semper coluit, & ad rectè erudiendam iuuentutē uti-
lia & necessaria indicauit Ecclesia. Hos euentus cum
in utramq; partem congruere cernamus cum vaticinijs
Prophetæ Ieremiæ: autores simus nostro loco iu-

) (3 uentuti:

uentuti: ut & huius, & reliquorum Prophetarum
scripta, à prima etate assidue legat: & animū suum,
aduersus imminentes, & iam dudum in his regioni-
bus nos prementes, calamitates atq; ærumnas, voce
diuina muniat & confirmet.

Hanc in sententiam, cum sæpe sermones inter nos
contulerimus, tempore pestis asperrimo atq; periculo-
sissimo: iisdem nunc quoq; vocibus, vos, Compatres,
Collega, & amici carissimi, compellare volui, publi-
cato hoc scripto: cuius recitationi, in recenti illa Scho-
la solitudine atq; vastitate, interfuistis: ut & mihi
& vobis vaticinia illa pœnarum atq; liberationum
verè diuinarum, in memoriam reuocarem: animosq;
nostros, ad subeundos præsentis, in docenda atq; re-
genda iuuentute, labores, haud semper suaves, neq;
vsq; adeò inter pueros pueriles, oraculis his Prophetarum,
erigerem atq; confirmarem: deniq; ut publico-
rum periculorum memoriam monimentis Scholæ no-
stræ, ac memoriæ publicæ mandarem. Valet, ac stu-
dia discipulorum, publica & priuata, quemadmodum
hactenus à vobis factum est, deinceps sedulo, diligen-
terq; curate. GORLICHII Lusatorum, Die equi-
noctij Verni, Anno 1586.

Laurentius Ludouicus
Leobergensis.

RELIQVIIS
SCHOLÆ GOR-
LICE NSIS.

*Misericordie Domini: quòd non consumti sumus:
Quia non deficiunt miserationes eius: sed quoti-
die renouantur. Thren. 3.*

Propheta in dissipatione SCHOLÆ diuinitus constitutæ, non tantùm oculis ac mente defixus hæret in pœnis publicis: pœnarumq; tristissimarum causas deplorat: sed in calamitatum multitudine intuetur etiam bona reliqua: & prædicat misericordiam DEI: qui in excidio tam horrendo seruauit præcipua Ecclesiæ membra, partem familiæ regiæ, ac summorum sacerdotum, nec non aliquas docentium & discentiũ reliquias: hortatur eas ad pœnitentiã: & agentibus pœnitentiam promittit restitutionem: non agentibus pœnitentiam, vaticinia & imagines pœnarum longè grauiorum ab oculos ponit.

Hoc lugubri Prophetæ carmine, quòd Ecclesijs atque Scholis omnium ætatum præscribi voluit Spiritus Sanctus, nos quoq; edocti, agnoscamus paternam DEI castigationem: doleamus de peccatis nostris: diuinis animos consolationibus erigamus: vitam à morum turpitudine, DEVM ad iram prouocante, auocemus: & grati celebremus misericordiam DEI: qui in his periculis incolumem voluit esse Reipublicæ huius magistratum: manifesta præsentia suæ testimonia edidit, in conseruandis verbi suis ministris: suas quoq; Scholæ reliquias, saluo & ipsius Scholæ ab omni lue tabernaculo, seruauit: ne deesset in posterum inter nos semen sanctum:

ctum: quod ἐν παντί εἰς Ἐκκλησίαν καὶ ἐν ἡλικίᾳ, in doctrina CHRISTI,
& humanitatis studijs erudiri, atq; ad officia DEO grata in
omni vitæ genere, informari posset.

Quod ergo bonum, fortunatum, felixq;, salutareq; sit
populo GORLICENSIVM Scholastico, rei; literariæ
populi GORLICENSIVM scholastici, collegisq; nostris, fi-
dei, muneri; nostro: in nomine Filij DEI, Domini nostri
IESV CHRISTI; qui λόγος est, & Orator æterni Patris,
summus rector atq; doctōr piarum Ecclesiarum atq; Schola-
rum: denunciamus iuuentuti nostræ scholasticæ, & alijs: qui
frequentibus, hætenus nuncijs, de instauratione Scholæ cu-
pide ac sollicitè quæsiuerunt: nos ad operas docendi publi-
cas redituros ad diem X. FEBRUARI: atq; eandem, qua
hætenus in studijs discentium laborauimus, fidem atq; indu-
striam, aut etiam, si fieri poterit, maiorem, in regendis tum
studijs, tum moribus primæ ætatis assiduitatem, DEO aspi-
rante, præstituros.

Piæ iuuentutis erit, DEO nobiscum gratias agere: quod
in ira misericordiæ recordetur: afferre ἐν σέβει, φιλομάθειαν, ἠ-
σωφροσύνην, animos pios, discendi cupidos, continentia, mo-
destia, sobrietatis amantes, disciplina scholasticæ patientes,
deniq; alienos ab omni ferocia atq; contumacia contra OS
DEI: qua tandem πανολεθρία, vniuersale excidium, atq; euer-
sio Rebuspub. Ecclesijs atq; Scholis attrahitur: eam vt DEVS
à nostris myrmecijs clementer auertat: nec terras has ana-
themate percutiat: à Patre, Domini & Seruatoris nostri IESV
CHRISTI, toto pectore precamur. P. P. GORLI-
CII LVSAT. Calend. Febr. Anno τῆς παγκοσμίου σωτηρίας,
1586.

*Collega docentes piam iuuentutem in
Cænobio Scholæ Gorlicensis.*

Threni

LACRYMAE
SCHOLÆ GOR,
LICENSIS.

LLA ego Musarum quondam celeberrima sedes,
Atq; alias fama longè memorata per oras,
En iaceo deserta: gemens vacua atria lustrò.
Formatrix morum tenerùm, docilisq; iuuenta
Qua fueram quondam: mea dum undiq; tecta sonabant
Carminibus: nec adhuc heu nostram pestis in urbem
Serpserat: euolvensq; domos, atq; alta vicissim
Limina: nec iam impunè minax contagia spargens:
Nunc me luctus habet: nunc me fata aspera tangunt:
Dum iuvenes passim, natos melioribus astris,
Excessisse locis video his, doctisq; theatris
Pieridum: atq; alijs vestigia ponere terris.

Non, si Nisse pater mihi, tu vel Elister aquarum
Uber, agens spumas saxoso à vertice montis,
Sufficeres undas vitreas, & pocula larga,
Fngentes possim lacrimis equare dolores:
Qui mea sollicitant crudeli pectora morsu.

Vix equidem hac metui: doleo magis: undiq; dira
Usq; lues adeò seuit: en ipsa docentes
Protinus agra fugo: atq; inter suspiria vitam
Vix duco: nec adhuc crudelibus occubo flammis.
Has intra sedes pueros modò namq; tenellos,
Spem letam, ab patriam in sedem deserta remisit.

Sape luem hanc nobis (si mens non laua fuisset)
De cælo tactas memini prædicere turres:
Flammea saepe cauo prædixit ab æthere nubes.

U

Sapè

Sapè etiam grando diffusis imbribus atris
Cum stabulis armenta tulit, & fluctibus hausit.
Præterea cælo micuerunt multa sereno
Fulgura: sanguinei crebrò rubuère Cometa
Lugubre, & nobis portendere funera visi.
Et memini, Verbi cum fatâ extrema **MINISTRUM**
Restare, exitium nobis, pestemq; canebant.
Atq; ideò cætu in medio, vulgicq; corona,
Sapè hæc testati magna sunt voce per auras:
Discite iustitiam, Ioue & non temnere iussa,
Tempus erit, cum facta omnes infecta voletis:
Talia cum vobis constabunt crimina magno.

Sed quantus dolor iste tamen, nunc carmine tristis
Expediam: si fata volent: si me quoq; fors an
Dira lues super esse volet: nec funere seuo
Merferit: in longam quæ claudit lumina noctem.

Longa referre mora est: studijs addicta iuventus
Quas artes edocta fuit: quàm vocibus aures
Impleta doctis: hinc dum tonat ore **LUTERVS**
Eloquioq; potens: doctrine primaq; pure
Fundamenta locans hac sede oracula pandit
Sacra Ioue: fraudes retegicq; & callida furtiva:
Funigerumq; dolos fratrum, ambageq; resoluit.
Dum quoq; post mortem veterum monumenta Sophorum
Fam dudum fama notus super astra **MELANCHTHON**
Tractat agens: Gratiumq; sonat præclara reperta.
Quem latè insignes vera pietate fideq;
Suspexere Viri: terris dum vita manebat:
Nunc verò cassum vitali lumine lugent.
Qui primus sacros ausus tentare labores:
Atq; vnus nobis meditando restituit rem:
Et linguasq; artesq; in apertas eruit auras.

Pria

Principio has intra sedes, & limina nostra,
Docta cohors audiuit opus: quo ritè docetur
Differere: incertas resq; omnes cogere formas:
Arte PHILIPPE tua scriptum, curaq; fideli.
Hic labor insigni praestantes reddidit arte
Innumeros, aliq; procul sub Sole repostos.
Hic oculos mentis fœdatos pulvere cœni
Erigit: attollitq; & recto tramite ducit:
Et cordis nebulas pellit, densasq; tenebras.
Sit procul hinc ratio (infandum) fucata, docere
Lusibus ambiguis, & vanis fallere verbis.

Inuita insolitum cogor renouare dolorem:
Quamquam animus meminisse horret, trepidusq; recusat.
Nunc vox docta silet: nunc facta silentia tectis
Undiq;: & ipse etiam librorum inuentor Apollo
Conticuit tandem: factog; hic sine quieuit.
Nullus fit tectis strépitus: nullasq; per ampla
Atria discipuli voces cum murmure iactant.
Vsq; adeo procul hinc omnes inimica fugauit
Pestis, agens latè ante metum, dirumq; pauorem
Diue PHILIPPE tuas umbras, manesq; beatos
Obtestor: non me varios fugisse labores,
Vtra etiam vires: in me mora non fuit vlla.

Audiit insignem iuuenum chorus arte libellum:
Rhetoris argutum eximij ratione fideli
Qui profitetur opus: lauoq; haud ordine monstrat.
Magna inde orabant causas cum laude, Senatus
Musarum ex rostris quos ora resolucere docta
Fusserat, & blandis perfundere pectora dictis.

Heu nihil humanis fas quenquam fidere rebus:
Omnia namq; rota celeri sors aspera versat.

Plangite Nisiades, mea gaudia, plangite Musæ.
Fam non Ausonia CICERO ingens gloria gentis,
Romanaq; parens lingua, fandiq; repertor,
Suauibus informat iuuenum sermonibus ora,
Fm numeros cogens, & certas singula leges
Verba bonus: quò res non vsq; inuita sequantur.

Plangite Nisiades, mea gaudia, plangite Musæ.
Amplius haud recitans antiqua reperta Pelasgum
Germanam resonare docet verba Attica pubem
Meonius Vates: quo non prestantior alter
Prestantes memorare Viros, pugnatq; bella.

Plangite Nisiades, mea gaudia, plangite Musæ.
Sede hac conticuit nostra quoq; pulsus, HOMERI
Fida sequens propius Latio vestigia versu:
Herbosis Minci quem Musæ aluere sub antris.

Plangite Nisiades, mea gaudia, plangite Musæ.
Heu vidi ipsa, Schola, nostra vidi urbis Ocellum
Fam dudum sanctas versari in pectore curas:
Tharfiaci ut Vatis nobis recluderet illam:
Que sibi Romanum prescripsit Epistola nomen.
Sed tu Sancte Cilix etiam nunc peste coactus
Ora tenes: facili nec das pia iura iuuenta.

Plangite Nisiades, mea gaudia, plangite Musæ.
Sed quid ego hæc autem frustra memorare laboro?
Fmfelix ego, Pieridum quondam inclyta sedes,
Dum queror hæc: subitus misera calor ossa relinquit:
Excussi manibus libri, delapsaq; scripta:
Occupat ora tremor gelidus: vox faucibus hæret:
Quando quidem versis lugent nunc omnia fatis.

Nonne vides patriam incendant ut luctibus urbem
Matres, atq; viri, pueri, innupteq; puella?

Clamor

Clamorem ut tollant ingentem ad sidera coeli?
Omnis ut insolitis resonet plangoribus aether?
Dum furit, atq; artus depascitur arida febris:
Atq; per incautum serpunt contagia vulgus.
Inde tot audiri gemitus: inde horrida ubiq;
Lamenta haec, voces querula, vagitus & ingens
Infantum, lacrymaq; & foemineū ululatus.

Natorum exanimés quoties ante ora parentes
Funere merguntur? natiq; ante ora parentum
Expirant animas dulces, lucemq; relinquunt,
Inficiuntq; simul tetro latè omnia tabo?
Heu crudele nefas, pietati debita claudit
Officia astantes dispersus languor in omnes.
Dediscit natura suum pietatis amorem:
Scilicet hic Pyladen frustra expectarit Orestes.
Heu pietas, heu prisca fides his exulat oris:
Semineces natos, quando super halitus errat
Extremus, pater ipse fugit, genitrixq; relinquit,
Sanguinis immemores, spreta pietate, propinqui.

In felix ego, me miseram quò deniq; vertam?
Nam propius conferre gradum, res plena pericli.
Sic adeò intentant mihi presentem omnia mortem:
Quocunq; aspicias, nihil est nisi mortis imago.

Mors miseris subeunda quidem mortalibus una:
Sed non vnus habet cunctos dolor: & via lethi
Non tamen est simplex: diris nec singula morbi
Corpora corripunt: sed limina tota repente,
Spemq; domumq; simul, totamq; ab origine gentem.

Hic caligantes nequicquam attollere caelo
In felix oculos multo conamine tendit.
Adduxit miseros artus huic ignea venis
Omnibus acta sitis: fauces premit aspera lingua.

Flammantes alijs oculi: atq; attractus ab alto
Spiritus: ille dolore caput torquerier acri
Nequicquam queritur: oculos stupor urget inertes.
Sunt alijs, quibus vlcus hiat sub corde, tumescens
Taboq;, & sanie, reliquum quoq; corpus odore
Inficiens retro: his alas, his inguina fæda
Occupat, & medio ostentat se in pectore bubo.
Pluribus ille notis variatos tingitur artus:
Et macula incipiunt rubro immiscerier igni.

At licet & salubres succos etiam ipse Machaon
Spargat: & incensos estus auertere tentet:
Non tamen idcirco flamma atq; incendia vires
Indomitas ponunt: ardentia pectora virus
Est seuum: & toto descendit corpore pestis.

Heu quantam morbus rapuit puerum ille coronam,
Quos non ingenio, quos non pietatis egentes,
Abstulit atra dies: & funere mersit acerbo?

Vitai in medio sic inclementia mortis
Horrida quoscunq; rapit, nil tale timentes,

At quantus gemitus, quantusq; ad sidera clamor
Tollitur? ut resonant Galilai culmina Petri?
Occidit heu nostrum pars non postrema laborum:
Occidit, & letho ponens caput expirauit.
Sed paucos video incedentes pone pheretrum,
Triste ministerium, patriæ quos iura, fidesq;
Quos pietas tenuit, sub tanta pericula missos:
Exigui numero: patriæ verò decus ingens.
Et tu solus obis? tuanè hæc per funera seruor?
Unum pro multis daberis caput? eia age cassus
Aethere, nunc loca dia colis: fruerisq; Deorum
Colloquio: amplexu hic pendes, colloq; Parentis:
Sub pedibusq; vides stellas, & sidera cæli,

Et tamen

*¶ tamen hoc subscribe puer rude marmore carmen a
Dum pompam exequitur solennem luce carentum
MEISTERVS: letho morientia lumina soluit.
Ille autem interea parua tellure repostus,
Aduentum Fovae expectans in pace quiescit.*

*Ab quando tandem atra lues, & pestis acerba,
Corpora multa ruens tumulo, & dans stragis acervos,
Vanescens prorsus tenues exhibit in auras?
Quando iterum fuerit fas nostra haec limina adire?
Et clausas referare fores? quando atria plena
Lustrabo iuuenum: laudum & Virtutis amore
Succensi qui frondosos conscendere colles
Rupis inaccessa cupiunt: & fronde coronam
Exoptant viridi: & doctum volitare per ora
Docta virum: pulchraeq; caput efferre per artes?
Tam foede ante oculos semper disticta iacebo?
Digeret haud numero rursus, pestisq; furore
Dispersas vehet ipse Parens ad pristina Musas,
Muneribusq; nonis cumulans, & honoribus augens?*

Verum hinc à lacrymis conuersi ad vota feramur.

*Fovae pater non unquam incassum in vota vocatus,
Tu morbos prohibe nostris à caetibus istos:
Tuq; Urbem hanc tutare tuo sub Numine sacro,
Altricem Patriam Musarum, & nobilis oci.
Famq; veta ulterius gladio sauire cruento
Aligerum: qui tot dira lue corpora letho
Voluens, integras viduat quoq; ciuibus vrbes:
Et iam seua dedit nostris tot funera in oris.
Tu solus mala tanta potes depellere: solus
Tu potes omnipotens infestam auertere pestem.
Cur adeò irarum cunctas effundis habenas?
Quin potius cohibere iras, & parcere nobis*

CNTA



Cura sit, erratum nostrum agnoscentibus ultro.
Aëra tu terris purum, tu suffice sanum:
Corruptas cœliq; auras, morbosq;, famemq;
Depellas procul hinc super & Garamantas & Indos:
Ut tener hic cœtus procul hisce solutus ab oris
Tandem iterum cœat: doctas & sedulus artes
Nocturna tractetq; manu, tractetq; diurna:
Nec tantam primis iacturam sentiat annis.
Sanctum ex hoc numero Genitor tibi collige cœtum:
Et studia, & sacros feliciter ire labores
Numine concedas placido: atq; hac docta theatra
Custodes Verbi, stabilemq; in secula sedem
Esse sine: atq; alios, statiosi forte relicta est,
Suffice doctores: qui sacra oracula pandant.
Tum quanta iuuenum complebunt atria turba?
Tum quanto Nisi volitabunt agmine ad undas?

Gregorius Richterius Gorli-
cius, Collega docentium
in Schola Gorl.

THRE-



Threni
SCHOLÆ GOR-
LICENSIS.

Anno M. D. LXX XVI.
10. Februarij.

Quanta solitudo est in vrbe populosa? plorando
plorat noctu: & lacrymæ eius in maxillis eius.

HAs Prophetæ querelas, de tristissimo patria carissima ac nobi-
lissima excidio, dicendi nobis argumentum, in publica hac ope-
rarum scholasticarum denunciatione, nouiq; collegæ designa-
tione, miserimis hisce temporibus, suppeditare accommodatissimum:
neminem, cui & patria hæc, literarum optimarum amore celeberrima,
& Schola, iuuentutis multitudine affluentissima, cordi eßi, non videre
arbitror.

Cum enim vates sanctissimus carmen hoc lugubre non suæ tantum
ætatî scripserit: sed imaginem proposuerit quasi viuam calamitatum
Ecclesiæ omnibus temporibus: causas pœnarum atrocium verissimas
monstrarit: ac consolationes in subito malorum ingentiũ concursu sa-
luberrimas, singulis vera fide Deum colentibus, tradiderit: non tan-
tum animis defixi hereamus in contemplatione nostrarum miseriarũ:
quemadmodum Philosophi, destituti luce vocis diuinæ, omnem eloquen-
tiæ suæ vim, in deplorandis miserijs humanis, inter horrendos animo-
rum cruciatus, consumserunt: sed cum simus cives veræ Ecclesiæ DEI:
ac nomen CHRISTI Seruatoris profiteamur: scripta Prophetarum &
Apostolorum, viuas deniq; voces atq; conciones ipsius Filij DEI, quæ no-
bis certam, expressamq; voluntatem DEI, absq; omni verborum ambi-
guitate monstrant, quotidie in manibus habeamus: decet nos perpen-
dere

dere quam diligentissime causas pœnarum, tum priuat arũ, tum publi-
carum: in quibus in hunc vsq; diem haeremus: ac remedia in oraculis
Prophetarum à DEO monstrata, obujs vlnis amplecti: vsq; rectè, as-
sidueq; vti.

Quod sicui argumentum hoc tristius, atq; adeò alienum à publica
videbitur letitia, & mutua congratulatione diei huius: quo mense de-
mum sexto, clausa hac musarum docentibus discentibusq; patent domi-
cilia: mutuog; conspectu atq; complexu distracti hæctenus, ac dissipati,
& preceptores & discipuli fruuntur: ille absq; dubio veniam nobis da-
turus est: vbi cogitauerit: nos nequaquam in s. holas vocari ad ocium
suauè, ad voluptates, & genus vitæ liberius ac dissolutius: sed hame-
ris nostris imponi onus Aetna longè grauius. Assignatur enim no-
bis autoritate ac stipendijs publicis locus is: in quo tenellis puerorũ ani-
mis, ab ipsis incunabulis instillanda est paulatim & assidue, doctrina de
vero DEO, & de Filio eius, misso ad genus humanum, Domino nostro
IESV CHRISTO: monstranda est peccatorum magnitudo: quæ
causa est mortis, omniumq; calamitatum in genere humano: docendi
sunt de veris remedijs, & firmis consolationibus in hac mole arumna-
rum: flectendi sunt à primis annis ad amorem literarum, artium &
linguarum: quibus opus est Ecclesie & Reipub. in hac vita, ad doctri-
næ cœlestis explicationem, & honestæ disciplinae conseruationem.

Onera hæc quanta sint: quæ studia, quam vigilantiam, quam sobrie-
tatem, quam industriam, quam ardentem inuocationem, quam deniq;
animi constantiam & magnitudinẽ flagitent: non ignorant illi: qui
ad scholarum operas accedunt, non voluptatis & ocij gratia: sed vbi
DEO grata faciant: suo loco bonarum literarum conseruationem se-
dulo iuuent: & ipsi colligendo in dies eruditionis thesauro, non sibi tan-
tum, verum etiam posteritati profuturo, nauiter elaborant,

Quapropter cum iusto DEI iudicio, lues seuissima Scholam hæc
frequentissimam dissiparit: vox doctrinæ publica intra hos parietes
prorsus conticuerit: disciplina puerilis nerui penitus concisi iacuerint:
flos iuuentutis nostræ non nulla ex parte, proh dolor, occubuerit: mo-
nendæ sunt in exordio operarum scholasticarum reliquæ eius, qui fuit
cætus: ne epicurea quadam animi profanitate, pœnas hæc grauisimas
contemnant: ne nihil de ira diuina aduersus peccata nostra, nihil de
miseri-

miseriordia DEI in pœnarum mitigatione cogitent: sed ut delictorum nostrorum magnitudinem agnoscant, serioq; deplorent: ad Filium DEI vera fiducia conuertantur: Deumq; pœnitentiam agentibus verè reconciliari, & mitigare pœnas statuunt: mores accuratius regant: doctrinam verbi cœlestis diligenter discant: literas vite hominum utiles & necessarias, studiosè colant: deniq; totius vite cursum ita instituunt: ut ad has & similes calamitates, ceruicibus nostris impendentes, & has regiones iam dudum prementes, animos veris atq; efficacibus consolationibus munitos & confirmatos afferant.

Audiamus ergo, quam reliquijs Scholæ nostræ (ad Scholam enim Oratio hæc puerilis pertinet) in lugubri suo carmine doctrinam proponat Jeremias: quas pœnas & calamitates commemoret: quas pœnarum causas recenseat: quibus consolationibus animos fractos atq; abiectos erigat: quid de vite emendatione, ac conuersione animorum ad DEVM dicat: qua deniq; vaticinia de pœnis grauioribus atq; extremis, quas DEVS immensa misericordia adhuc differt, nobis proponat: atq; certis literarum monumentis tradita, frequenter nos legere, & in ea tanquam in imaginem ingentium calamitatum, & presentissimorum in malis remediolorum, intueri velit.

I.
II.
III.
IIII.
V.

I. Quanta est, inquit Propheta, solitudo in vrbe populosa.

Quam deploranda sit solitudo, quam tristis vastitas, intra hos muros parietes, res ipsa docet. Ante menses paucos magnam in singulis classibus puerorum atq; adolescentium vidistis frequentiam: ratio malis nunc pro centurijs singulis vix totidem inter hæc initia decurtas certum.

I.

Commemoratio

Quid verò inest in hac solitudine mali? Quare Propheta à paucitate ciuium in vrbe populosa orditur querelam suam? Sciebat vates sanctissimus constitutam fuisse illam à DEO politiam: ut certus populus esset, ac locus certus, velut theatrum & specula totius orbis terrarum: ubi testimonijs illustribus, miraculisq; diuinis ederentur promissiones diuinae de Messia, atq; subinde repeterentur, ac confirmarentur: ubi veluti in Schola excitare DEVS doctores, sonantes doctrinam de

cælo traditam: ubi libri doctrinae illius per certos testes custodirentur, atq; ad posterum transmitterentur: deniq; ut certum esset: quo in loco, inter quos homines, & in quo penè vestigio, DEVS Messiam nasci, conspici, doceri, & pati vellet.

Cum ergo politia illa & Schola esset, & sedes certa Ecclesiae: quo nullum maius tum esse potuit & regni ullius in toto genere humano: non potest, dissipata eiusmodi Schola, diuinitus constituta, atq; eversa sede Ecclesiae, non grauissime dolere Propheta. Deleta enim sede hac, impediabantur ac negligebantur studia doctrinae: ita ut Ecclesia prorsus interitura videretur. Sicut magna ex parte secutus est interitus Ecclesiarum in gente Israëlitica post exitum Babylonicum: ac reddita fuit Ecclesia longè angustior, & squalidior: quàm fuerat ante exilium: forma regni tota deleta fuit: nec politia ita floruit: ut antea floruerat.

Satis iam, satis, inquam, intelligitis, pueri & adolescentes, fructum huius solitudinis, non modo ex querelis Prophetae, sed ipsa, prohi dolor, experientia magistra. Quid enim sit, quæso, in Ecclesijs scholisq; nostris de doctrina cælesti? de optimarum artium studijs? de omni literarum genere? de morum & uitæ honestate? quando pueri à prima ætate non audiunt, non meditantur, non exercent quotidie elementa catechetica: non fundunt pias ad DEVM preces: non sacras animis insigunt sententias: non discunt agnoscere, discernere, proferre, pingere characteres literarum: non legere, construere, distinguere orationem. Ubi adultiores non erudiuntur vberius de capitibus præcipuis doctrinae cælestis, de instaurata luce doctrinae hæc ætate, de controuersijs præcipuis omnium temporum: ubi non exercentur in artibus dicendi: ubi nulla reguntur necessaria disciplina: non audiunt, non cernunt exempla vlla, aut vetusta, aut recentia, aut sacra, aut profana, in omni virtutum genere: non versantur in cætu publico, ac luce hominum: non monentur de serie atq; distinctione historiarum, imperiorum, regnorum, rerum publicarum in mundo: non experiuntur vires suas dicendo, scribendo, disserendo: non preparantur ad artes superiores, & ad studia Academica: deniq; ad nullum vitæ genus, seu politicum, seu Ecclesiasticum, seu æconomicum, disciplina primæ ætatis necessaria, informantur.

Hæc.

Hec vita qualis sit, hodie nos docent historie de gentibus barbari-
cis, Ethnicis, Turcicis, Arabicis, Saracenicis, Iudaicis: apud quas aut nul-
la sunt litera: aut si que sunt, Mahometo seruiunt, numinibus com-
mentitij, idolomania diabolica: nulla ibi vox auditur de doctrina
Euangelij, allata è sinu aeterni patris: nihil de Filio mediatore inter
DEVM & homines: nihil de iustitia fidei, de donatione Spiritus San-
cti, de veris malorum causis, de consolationibus salutaribus in arumnis
huius vita, & in ipsa morte, de vera inuocatione: nihil deniq; certi
docetur de vita aeterna. Quod si alicubi Christianorum sunt reliquie:
illa sectarum, partiumq; studijs ita sunt distracta: ceremoniarum reli-
gionibus ita deuincta: literarum, ipsiusq; vocis diuina ita rudes: ut
prater nomen ipsum de CHRISTO vix quicquam retineant. Ubi
ita viuitur: ibi homines, quoties de DEO cogitant: quoties peccato-
rum suorum conscientia anguntur: quoties arumnarum communium
onere premuntur: in horrendis tenebris, in perpetuis cruciatibus, &
doloribus animi versantur: vitag; cum gemitu fugit indignata sub
umbras.

De his malis tantis & docet & vaticinatur prima hæc Propheta
querela, de solitudine in vrbe populosa: cuius aspectus & consideratio,
cum primas Propheta excusserit in lamentatione hac lugubri lacrymas:
nos quoq; hodie in hanc loci huius solitudinem intuentes, lacrymas no-
stras cum Propheta lacrymis coniungamus: maliq; huius tristissimi
magnitudinem, ex ore Propheta agnoscere, accuratiusq; ponderare di-
scamus. Verum hanc ipsam conquestionem Propheta deinceps enarrat
ipse, instituta congerie malorum: quæ solitudinem in Ecclesia, Repub.
scholis sequuntur. Nos eam partem in extremam orationem reuocem-
mus: ubi, quæ nobis in posterum, non agentibus pœnitentiam expe-
ctanda sint, ex oraculis Propheta commemoraturi sumus. Interea
persequemur illa: de quibus in presentia Scholæ nostræ reliquias do-
cet Propheta.

II. Plorando plorat noctu: & lacrymæ eius in
maxillis eius. Nemo est, qui consoletur
eam, ex omnibus amicis eius.

Omnibus deplorandi videntur illi: qui morbis grauibus oppressi decumbunt, gemunt, ac cum morte inter cruciatus & dolores corporis acerrimos luctantur. Sed hi consolationibus amicorum presentium, e verbo DEI depromtis, erecti, atq; confirmati, equo animo finem dolorum expectant: & tandem suauiter ceu somno consopiti, terq; quaterq; beati sunt prae illis: qui lue contagiosa correpti, confestim ab omnibus hominibus deseruntur: inedia & siti, incendio in corpus virulentissimo grassante, contabescunt: tandemq; omni solatio humano destituti, inter cruciatus, & gemitus tristissimos, miserandum in modum extinguuntur.

Hoc malum quale, quantumue sit: assequi cogitando nemo, nedum oratione satis exprimere potest. Propterea tam frequenter de hac desertione in Psalmis conqueritur Spiritus Sanctus. *Psal. 31.* Omnibus inimicis meis factus sum opprobrium, vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me in plateis, fugerunt a me. *Psal. 38.* Amici mei, & proximi mei, ex aduerso plagae steterunt: & qui iuxta me erant, de longe steterunt. *Psal. 71.* Tanquam prodigium factus sum multis. *Psal. 88.* Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi. Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos propter miseriam. *Psal. 142.* Perijt mihi refugium: & non est, qui curet animam meam.

Haec Psalmorum voces, toties repetitae, erudiunt nos etiam de mali huius magnitudine: simulq; monent, nullum esse calamitatis genus: cuius exemplum pia mens in assidua psalmorum lectione non inueniat: ut grauius e Basilio Lutherus monet.

Ideo conditi sunt a DEO homines: ut viuentes in communi societate, alij alios doceant de DEO, & alijs rebus bonis, utilibus ac necessarijs in vita: ac DEVM vera inuocatione, gratiarum actione & celebratione in publicis Ecclesiae congressibus colant: mutuisq; officijs & pietatem erga DEVM, & dilectionem ergo proximum declarent: re, opera, consilio, solatio egentibus praesto sint. Quid ergo tristius? quid magis deplorandum accidere potest pia menti? quam excludi ex hominum societate: eijci ex Ecclesia: esse alijs formidini: implorantem
in extre-

in extremo discrimine aliorum opem, & officia humanitatis flagitan-
tem, ab omnibus deseri: esse τέρρας τοῖς πολλοῖς, prodigium in multitu-
dine: imò verò esse ἐδ' ἐλυγμά, rem abominandam etiam proximis,
notissimis, amicissimis: deniq; in agone extremo, non habere, non vi-
dere, non audire hominem: qui curet animam: qui in lueta cum ira
DEI, cum peccato, cum morte ipsa, suggerat consolationem salutarem
atq; efficacem è viuis fontibus verbi diuini. Auditis tam viuis ex-
pressis coloribus à Psalmographo arumnas atq; miseras pestilitatis: ac
si ex ipsa nostri temporis, harumq; regionum atq; locorum historia sumta
esset descriptio.

At fortasse humanitatis & amicitiae officia, in astorgia & fuga fa-
miliarium, domesticorum, ciuium, prestabunt vicini? ad hos fugere,
horum beneficentiam, opem, studia implorare licebit? Nihil verò mi-
nus, inquit Propheta.

III. Omnes vicini eius deflectuntà via; & ani-
mo hostili sunt in eam.

NON modò deserunt vicini vicinos calamitoso hoc tempore, suo-
rum opera, subsidioq; destitutos: sed ne in via quidem publica
eis occurrere audent. Imò verò regia via ab omni hominum commer-
cio, commeatu, transitu, discessu, reditu, consortio deniq; omni, inanes
prorsus & vacuae cernuntur.

Insigni verbo utitur hic Propheta, Bagedu, prauaricati sunt: à
via recta deflexerunt: cursum rectum non tenuerunt: veram nor-
mam non sunt secuti. Hac voce Ieremias quasi imagine quadam pin-
git, atq; ob oculos ponit timorem, secessionem, gestus, conatus fugien-
tium, ac declinantium occursum mutuum in publicis congressibus. La-
tini è radice hac, ut Hebraeorum Grammatici loquuntur, peccandi ver-
bum, significatione generali deduxerunt: monentes omnia peccatorum
genera in unico hoc delicto, fuga nempe, atq; desertione vicini in ex-
tremo vite discrimine, concurrere. Hoc ipsum etiam significantius
mentionem edij hostilis exprimitur. Quod enim est inhumanitatis, aut
crudelitatis genus? quod sibi hostis in hostem non licere vel optimo iu-
re putat? Horrendum auditu est, vicinos erga decumbentes non alio
esse

esse animo: quàm erga hostes: qui contra nos arma ferunt: qui sacris
& profanis, publicis & priuatis rebus, omnibus ciuibus, coniugibus,
liberis, magistratibus, subditis, incendia, cedes, vastationes, exilia, ex-
cidia moliuntur. Horrenda hæc, inquam, sunt auditu: non tamen ve-
retur Spiritus sanctus ὁ κατὰ ἰογνώσκῃς verissimus, hunc animum tribue-
re desertoribus eorum: qui in morbis & malis grauissimis, vicinorum
officia & studia requirunt.

Quo apud nos vicini in vicinos, tempore hoc pestilentissimo, fueri-
mus animo: quæ mutui amoris documenta ediderimus ipsi: quæ huma-
nitatis officia decumbentibus præstiterimus: quod pietatis exemplum
posteris, in casu tam tristi, reliquerimus: satius est nos in historiarū ve-
terum monumentis spectandū illud singulis, contemplandumq; propone-
re: quàm in vitam moreq; nostros tali tempore mortuosius inquirere.

Euf. Lib. 7. Cap. 17. Apud Eusebium, Gallieno imperante, hæc leguntur: Cum à per-
secutione crudelissima paululum respirare liceret Christianis: pestis subito grassari cœpit in vrbe Alexandrina: res pla-
nè ethnicis ad terrendum omni metu grauior: ad excrucian-
dum quauis calamitate tristior, acerbiorq;: vt quidam ex hi-
storicis Ethnicis dixerit: πρῶγμα μένον δι' παντός ἐλπίδ' ὅτι καὶ πῶρ
γενόμενον. Malum hoc omnium opinione maius esse. Chri-
stianis verò nequaquã talis res putabatur pestis: sed à D E O
tum ad fidem piorum exercendam, tum ad tolerantiam ani-
mi probandã, nihilominus, quàm reliquas pœnas, in genere
humano vagantes, cœlitus immissa credebatur. Itaq; quàm
plurimi è fratribus tanto caritatis mutux ac beneuolentiæ a-
more inflammabantur: vt nulla vitæ suæ atque valetudinis
ratione habita, morbis oppressos sedulò inuiserent: officia
quæq; illis præstarent: pro viribus propter CHRISTVM il-
los curarent: perquàm libenter aliorum contagione infecti,
morbum à proximis ad se attraherent: non grauatim crucia-
tus aliorum tolerarent: sua opera illorum valetudinem sub-
leuarent: eorum loco mortem adirent: aut cum illis è vita
exirent: atq; ita re ipsa præstiterunt: quod vulgi sermone ia-
statur: Illos veros esse amicos: qui pro amicis adire mortem,
& fieri

& fieri peripsemata non dubitent. Hoc pacto optimi apud nos fratres, presbyteri etiam quidam, & diaconi, & ex plebe laudatissimi quiq; ex hac vita emigrarunt: vt iam id genus mortis, incredibili pietatis & fidei robore susceptū, non multū à martyrij splendore abesse videretur. Quin etiam sanctorum corpora manibus erectis, supinisq; excipere, sinu suo reponere, oculos purgare, ora claudere, in humeros tollere, componere, complecti, lauare, amiculis feralibus exornare non verebantur: paulò post eandem ingressi viam, iisdem officijs, quæ superstites præstiterant alijs, ipsi potiebantur. *Hæc Christiani.* Ethnici verò his omnibus contraria facere. Eos qui ægrotare incipiebant, ex ædibus extrudere: amicissimos quosq; deserere: in plateas semiuiuos sternere: mortuorum corpora infepulta canibus lanianda exponere: mortis communitatem, societatemq; toto pectore auersari: quam tamen vel infinita quærentes diuerticula, nullo ad extremum modo euitare potuerunt. *Hactenus Eusebius.*

Hic piorum, hic ethnicorum animus, hæc illorum inter ipsos officia fuerunt mutua in peste, circa An. Chr. 263: quo tempore Ecclesia adhuc exigua, infirma, & tristi tyrannide oppressa fuit. Nullum pietatis, nullum humanitatis officium neglectum à Christianis tum temporis erga vicinos peste correptos fuit. Imò verò post tristissimas multorum annorum persecutiones, quasi è mari turbulentissimo in portum tranquillum vocati per pestem, fide & spe plenissima, ad æternam cum CHRISTO consuetudinem, ex hac vita cupide emigrarunt. Ethnici oppressi formidine ineffabili, & fuga mortis omnibus in locis frustra tentata, miserandum in modum occubuerunt. Cum hac historia vultus conferre singulis licet ea: quæ calamitosissimo hoc tempore apud nos acciderunt: atq; contemplari, quales nos erga vicinos præstiterimus: quibusnam similiores, Christianis ne, an ethnicis fuerimus. Sed pergamus ad reliquas Prophetæ querelas:

C

IIII. Omnis

IIII. Omnis populus eius gemit, & quærit panem.
 Res preciosissimas expendunt pro victu; vt
 animam recreent ac reficiant.
 Pueri petunt panem; nec quisquam est, qui
 eum porrigat.
 Forma eorum sic denigrata est; vt non agno-
 scantur in plateis; cutis eorum vix ossibus
 hæret; & aridiores sunt ligno.

HIC compello manipulum pauperum, columnen Scholæ nostræ uni-
 cam, tempore hoc luctuosissimo. Hi has Prophetæ voces intelli-
 gunt, enarrare possunt, exemplo suo probare: suas miseras commemo-
 rare: faciem cadauerosam, corpus macie torridum contemplandum
 præbere: seu ælius ac dira famis delicias ostentare.

Vult Prophetæ nos non tantum pestilitatem lugere: sed etiam fa-
 mem deplorare: quam vel ipso bello tristiores affirmare non dubitat:
 quando inquit: Cum interfectis gladio melius actum est, quam
 cum ijs: qui fame necati sunt; qui contabuerunt, & consum-
 ti sunt inopia commeatum. Quam sententiam, historiarum
 consensu edoctus, sic protulit Homerus:

πάντες μὲν συγχοῖν θάνατοι δ' ἀλοῖσι βροτοῖσι:
 λιμῶ δ' ὀικτισοῦ θανέειν, καὶ πότμον ἐπιπέειν.
 Omne homini mortis genus est miserabile: dira
 Sed perijisse fame clades supereminet omnes.

Hæc non considerant illi: qui in rerum omnium affluentia, has mi-
 serias & ærumnas non sunt experti. Maiorem ne pestis, an fames
 huius & superioris anni, stragem ediderit: queri iure potest. Notum
 est vetus illud: λοιμὸς μετὰ λιμὸν. Pestis post famem. Fames ceu fo-
 mitem preparat & suppeditat pesti. Exempla leguntur in historijs sa-
 cris & profanis. Ingens est erga DEVM ingratitude: tam tristium
 penarum historiam, non modo ex memoria, sed etiam ex fastis euellere.
 Sequitur malum aliud.

V. Septum mihi circumdedit; ne possim exire:
 duris compedibus me constrinxit.

Quam

Quam graue sit pie menti hoc genus miseriarum: non versari in
 cœtu hominum: non esse in congressibus audientium & discen-
 tium verbum DEI, rectè utentium sacramentis, DEVM verè inuo-
 cantium & celebrantium: multa psalmorum voces docent. Psal. 88.
 Incarceratus sum, & non possum egredi. Psal. 142. Educ de
 carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Psal. 42.
 Sitiuit anima mea ad DEVM viuum: quando veniam, & vi-
 debo faciem DEI. Psal. 27. Vnum petij a DOMINO: hoc
 requiram: vt inhabitem in domo DOMINI omnibus die-
 bus vitæ meæ: vt videam voluptatem domus DOMINI, &
 visitem templum eius.

Hic Spiritus sanctus affirmat, exclusos seu absentes à congressibus
 publicis Ecclesie, viuere tanquam in carcere, more hominum scelerato-
 rum: quibus ob delicta in dies teterrima supplicia sunt expectanda.
 Quid eiusmodi sententia tristius dici potest? quæ mens pia non exhor-
 rescat ad tanti mali considerationem? Contra in publico ecclesie cœtu
 cernitur facies DEI: in conspectu est voluptas Domini: DEVS ipse
 præsens, est efficax in cordibus credentium: & vitam ac letitiam ac-
 cendit: quæ nullis tempestatum procellis aut imbribus extinguï potest.
 Sed quid sibi volunt istæ inter Threnos Prophetæ voces?

VI. Tanquam lutum & fordes collocasti nos
 inter populos.

HIC ne nobis ipsis indigna dicere & audire cogamur: remittimus
 pueros & adolescentes ad suos parentes: ex eorum ore querant
 & discant: quenam iter facientes experti fuerint humanitatis offi-
 cia: ad quæ loca diuenterint: quæ verborum comitate excepti fuerint:
 quis oblato precio cibum apposuerit: quis sitientibus potum præbuerit:
 ubi cubantes quieuerint: quibus votis atq; omnibus dimissi fue-
 rint: quæ regiam viam tenentibus euenerint: quæ ab ea declinantibus
 acciderint: quibus dolores in agris decumbentium fomentis mitigati
 fuerint. Hæc ubi à parentibus vestris audiueritis: non obscure intel-
 ligetis: quomodo mala nostra cum Prophetæ miserijs congruant: &
 quas nos lacrymarum hæcenus causas habuerimus.



170
DIND
Appellationes in fontibus insignem habent emphasin, Sechi, lutum, colluies, ramenta sordium, quæ verrendis pavimentis collecta eijciuntur. Maos, res cum fastidio reiecta, ἐδύγµα, abominandum quiddam. Paulus appellat καθάρματα & πορρήματα: quarum vocum vim diligentissimè excutit Lutherus. Appellatur enim phrasi Prophetica καθάρμα & πορρήμα, malum tetrum & execrandum: cui DEVS implacabiliter irascitur: a quo tota rerum natura abhorret, sol lucem subducit, fruges terra denegat. Sicut dicitur in versiculis:

Iam sol stupefactus magnitudine sceleris
Resistit: & currus pallens inlibet suos,
Lumenq; : terra fruges denegat:
Et in vetus natura chaos confunditur.

Hic profecto omnes sanos cohorrescere necesse est: & mirum in modum angi animis: quando audiunt se publicis sententijs damnari, tanquam ἐδύγµατα, ἀλάστορα, & pestem exitialem: quæ non modo contagione & aspectu, sed etiam umbra noceat. Sicut in Tragædia de Alastore dicitur: Discedite a me: ne umbra mea noceat bonis. Sed voluit Spiritus Sanctus his uti metaphoris: ut animos nostros, rupe Caucasea duriores, flecteret ad considerationem calamitatum: in quibus cum alijs hætenus hæsimus.

Verùm ne longiores simus hac tristi commemoratione: accedemus ad causas tantarum arumnarum: ubi unicam hanc Vatis nostri querelam adiecerimus.

VII. Dracones, inquit Propheta, præbent mammam catulis suis, & lactant eos. At filia populi mei crudelis est, sicut Struthio in deserto.

QVæ sit utriusq; monstri natura, docet inter alios Plinius: qui serpentes tanta inuentos scribit magnitudine: ut solidos hauserint cervos & tauros. His horrendis monstris suam tribuit erga natos storgiam Propheta. Struthionem ea esse astorgiam Hiobi liber affirmat: ut ova sua deserat: pullos non agnoscat: & ut mole corporis, ita stoliditate omnes aves superat. Altitudinem enim equitem insidentem equo

62.62

excedere, & celeritate vincere, adiuantibus currentem pennis, scribitur. Deplorandum est tam immanibus & horrendis beluis comparari homines, ad imaginem, hoc est, ad normam sapientiae, iustitiae & libertatis in DEO conditos. Non tamen dubitat Propheta σοφῶς maiores tribuere Draconi virulentissimo: quam ciuibus Ecclesiae DEI erga calamitosos, & in pœnis diuinis haerentes. Ο ἄσοφῶς ἰσχυρὴν verè deplorandam, & non modò a pietate, sed ab omni humanitate alienam.

Quid verò hac Prophetae querela ad nos? Utinam verò nihil omnino. Utinam non audiuissemus adibus exclusos a parentibus liberos: desertos a liberis parentes: diuulsos a mutuo complexu, conspectu, conuictu fratres & sorores: distractas in diuersa loca familias: alios in alijs adium angulis ceu in carcere decumbentes, gementes, spiritum extremum agrè ducentes: animam tandem in solitudine, ipsa morte tristiore, exhalantes. Hac nullius contumeliae causa commemoramus: sed iunioribus publicorum malorū magnitudinem, lamentatione Prophetae sanctissimi expressam, etiam inter nos monstramus. Νῆξ γὰρ φροντῆς ἀλγῆν οὐ φιλῆ, ut veteres dixerunt: Iuniores publicarum calamitatum cura non afficiuntur.

Audiuistis septem membra Threnorum Jeremiae: quae docent, nos in iisdem arumnis herere: quas in populo suo, maximo animi cum dolore, inter lacrymarum flumina luget Propheta. Hac mala, cum à prudentioribus aliquo modo cogitari, oratione nulla exprimi possint: relictæ rerum tristissimarum commemoratione, videamus: quas tam grauium pœnarum causas in medium afferat Propheta: D O M I N V S, inquit Propheta, afflixit eam propter magnitudinem peccatorum.

Iustus est D O M I N V S: quia fui contumax contra os eius. Prophetæ tui vanas & stultas visiones tibi prædicarunt: nec monstrarunt tibi peccatum tuum. In medio vrbis effuderunt sanguinem iustorum. Vagabantur in plateis sicut cœci: & sanguine polluti erant. Quare etiam inter gentes dicebatur: non diu in hac sede commorabuntur.

Præcipuam maximarum calamitatum causam in Ecclesia DEI Propheta dicit esse contumaciam in atrocibus delictis, videlicet, in cultu idolorum, epicureo contemptu DEI, parricidijs sanctorum, in perturbatione petulanti publicæ tranquillitatis.

II.
De causis
pœnarum.

Hic ne iterum querelas Prophetæ præter causam cupidius in nos de-
torquere videamur: intuebimur rursus in exempla vetustatis. De
pœna contumaciæ in defendendo cultu idolatrico, dignissima extat me-
moria narratio apud Eusebium de Maximino Orientis tyranno.

Actorum
Pilati liber
confictus.

Posteaquam tyranni non pauci, exquisitissimis supplicijs frustra de-
lere nomen CHRISTI multos annos conati essent: ac re ipsa didicis-
sent: diuinitus & reprimi furores suos: & confirmari in confessione
veritatis Christianos: iamq; animis ipsi frangerentur: ac simul cum
furore & rabie aduersus CHRISTVM fasces imperij deponerent:
Maximinus, qui Orientis imperium tenebat, ut alijs omnibus non pie-
tatis, fortitudinis, constantiæ, sed impietatis, crudelitatis, & vanitatis
palmam præriperet: non tantum auctores nouorum tormentorum, cru-
ciatum & lanienarum, quibus potuit sumtibus & pollicitationibus, per
vniuersum imperium conquirat: verum etiam callidissimo quidem, sed
planè diabolico consilio confinguntur Pilati & Seruatoris nostri, rerum
gestarum tanquam commentarij, omni blasphemia, & conuicijs in CHRI-
STVM referti. Hunc unicum librum, neglectis autoribus antiquis
vniuersis, ad institutionem iuuentutis necessarijs, mandante per literas
Imperatore, cogebantur proponere atq; inculcare pueris præceptores in
Scholis: ut pueri à teneris odium CHRISTI imbiberent: & nihil
præter blasphemias in CHRISTVM domi, foris, publicè & priuatim
effunderent. Hoc inuento plurimum confidebat tyrannus: ut apertè
gloriarì non vereretur: non famem, non pestem, non bellum, non vllum
calamitatis genus se regnante grassaturum: cum tantorum malorum
veros & solos auctores Christianos, tanquam anathemata & piacula,
tanta vigilantia, sagacitate, immanitate tolleret: pristinumq; deorum
cultum, à maioribus acceptum, summa religione restitueret. Sed ut
DEVS non vult humanis consilijs regi Ecclesiam in hac vita: ita solus
DEVS diuinam suam omnipotentiam, in conseruanda in medio hostium
atrocissimorum Ecclesia, præter omnium expectationem, in extrema om-
nium desperatione, ostendere solet. Nunquam enim maior difficultas
fuit annonæ: nunquam maiori seuitia grassata est pestis: nunquam
hostes maioribus animis, & meliore successu arma contra imperium
Orientis tulerunt: quam hoc ipso tyranno Maximino in Christianos
omni rabie sauiente. In hac historia cum insignis ponatur & ipsius
pestis,

pestis, & miseriarum atq; cladum publicarum, quae pestem comitantur, descriptio: ipsum audiemus de hac re Eusebium: cuius ut alia, ita haec quoq; verba, in suos transtulit commentarios Nicephorus.

Eus. lib. 9.

cap. 7.

Nic. lib. 7.

cap. 28.

Decretis MAXIMINI in columellis & tabulis contra Christianos publicatis: spes rerum meliorum omnis, quantum in hominibus situm est, praecludebatur: electi quoq; ut est in sacro oraculo, non in mediocre delabebantur scandalum, & offendiculū. Verum omnibus tam inexpectata rerum mutatione consternatis: cum adhuc passim in itineribus decreta ea essent: & ad multas vrbes nondum perlata fuissent: qui omnia solo nutu & voluntate sua facit & mutat DOMINVS: gloriosam tyranni superbiam veluti strangulans, de repente auxilium coelitus tulit. Statim enim solitae pluuiæ, hyberno etiam tempore, in nubibus ipsis vinctæ sunt & retentæ: fames mox consecuta, deinde pestilentia. Accessit ad eas clades: qui propter colorem igneum carbunculus vocatur: vlcus odoris pessimi, membra corporis admodum contrahens: & quod latius serpens, ingens crearet periculum: occupatisq; oculorum angulis, viros simul & mulieres, quas occupasset, luminibus orbaret. Bellum insuper a MAXIMINO Armenijs illatum: qui antea socij Romanorum fuerant. Belli causa erat Christiana fides & religio. Quod enim homines inducere, atq; persuadere illis voluit: ut quem CHRISTO praestabant, idolis afferrent cultum: ex amicis hostes eos habuit. Quæ mala omnia eodem tempore coaceruata, tyranni audaciam, furoremq;, contra diuinum numen conceptum, fatis coarguerunt. Et cum per iactantiam gloriose, quod Christianos persequeretur, atq; idolorū cultum propagare studeret, sibi polliceretur: non famem, non pestem, non bellum imperij sui ditionem inuasurum esse: clades eæ confertim cumulatae, cum ineptam eius iactantiam & audaciam represserunt: tum euersionē, interitumq; eius iam iam affuturum, certò indicarunt. Ac ipse quidem, expeditione bel-

312¹/₂
Vallensj.

re bellica cum copijs suis contra hostes suicepta, quotidie,
viribus amissis, inferior abibat. In vrbibus autem, & locis
imperij sui reliquis, PESTIS FAMI implicata sæuissimè
grassabatur. Tanta porrò annonæ erat, & rerum necessaria-
rum penuria: vt medimnus vnus tritici, bis mille & quingen-
tis drachmis Atticis compararetur. Permulti ergo in singu-
lis ciuitatibus moriebantur: complures in agris & vicis ex-
tinguebantur: vt iam parùm abesset: quin colonorū census,
qui iamdudum innumerabiles esse solebant, penitus defice-
rent: propterea quòd de repente ferè omnes inedia, alimen-
ti penuria, & pestifero morbo interiissent. Nonnulli vel pro
minima cibi portiuncula, res sibi carissimas locupletioribus
diuendebant. Alij possessionibus suis paulatim venditis ad
extremam inopiam redigebantur. Erant non pauci qui, fœni
segmata dentibus conficiebant: et absq; delectu herbas quas-
dam pestiferas ac lethales deuorantes, miserè moriebantur.
Mulieres honesto loco natæ, inopia rerum omnium ad inue-
recundam redactæ necessitatem, in foro obambulantes sti-
pem mendicabant: pudore quodam, & vestitu mundiore
pristinam deliciarum affluentiam & liberalitatem tacitè quo-
dammodo præ se ferentes. Quidam pallidi & macie tabefa-
cti, perinde atq; simulacra quædam, rerum omnium egeni,
hinc & inde oberrantes, atq; lapsantes, proni in triuijs ipsis
concidebant, subsidij omnis expertes: & ad hoc vnum ægrè
firmi: vt fame se premi testarentur: miserandaq; voce, a
prætercuntibus, panis frustrum sibi præberi suppliciter pete-
rent. Locupletiores porrò, propter mendicantiū multitudi-
nem desperantes, cum multa eis largiti essent: deinceps ean-
dem cum mendicis calamitatem breui se perpeffuros expe-
ctabant. Quare in medio foro, plateis & angiportis, mortua
& nuda corpora proiecta, multorum dierum spacio insepul-
ta, miserandum spectaculum oculis intuentium præbebant.
Nonnulli etiam canibus esca erant: cuius rei gratia frequens
canum

canum coedes fiebat : quòd metus esset : ne illi in rabiem acti, homines etiam viuos laniarent. Pestis autem domos integras, & familias penitus depascebatur : & eos vel maximè, quos fames propter alimentorum affluentiam, consumere ac conficere non poterat. Magistratus & præfecti, alijq; infiniti, qui cum potestate & imperio erant, omniumq; rerum copia circumfluebant, perinde ac si fames quasi de industria eos missos fecisset, vt peste interirent, acerbissimam mortem, & maximè repentinam sustinuerunt. Omnia igitur loca, angiportus, fora, plateæ, domus, lacrymis, mœrore, & planctu plena fuère : luctus vbiq; & vociferationes inter dolores ingentes audiebantur. Neq; aliud spectare licebat, quàm miserabiles fletus : quos pro tibiæ cantu & strepitu ipsis vsitato, edebant. Hoc modo duobus telis, peste & fame, mors bellum gerens, vniuersas familias, breui temporis spacio absumsit : vt duo aut tria mortuorũ corpora ex iisdem ædibus pariter ad sepulturam efferrentur. Hæc auctoramenta & præmia, edicta contra Christianos proposita, gloriosi & arrogantis MAXIMINI sunt consecuta. Quo quidem tempore multi Christianorum hominũ egregia veræ pietatis suæ edidère documenta. Nam hi soli, in tanto malorum cumulo, suis rectè factis & pijs officijs, misericordiam declarabant, & beneficentiam. Alij in dies singulos mortuorum funeribus & sepulturæ diligentem nauabant operam : alij multitudine eorum, qui per totam ciuitatem fame vrgebantur, in vnum coacta, omnibus panem distribuebant. Vnde longè lateq; fama celebris de Christianis spargebatur : nomè CHRISTI laudibus vehebatur : & soli Christiani, veri DEI cultores, re & factis omnium ore ferebantur. *Hæc Eusebius de peste, imperante Maximino : cuius tyrannidem in pios, idolomaniam, & odium nominis Christiani, peste, fame, bello manifestè vindicasse DEVM : ipsum pronunciare historicum audiuitis.*

D

Bona

Bona verba, queso. Quid hæc ad nos? quis nos tantorū insimulabit scelerum? nonne doctrinam diuinitus traditam profiteamur? nonne DEVM nomine & fiducia mediatoris, Domini nostri IESU CHRISTI inuocamus? nonne sacramentis piè utimur? ubi obsecro, cædes fiunt iustorum? ubi Prophetae vani audiuntur? ubi nam idolis honos DEO debitus tribuitur? Ponderate voces Prophetae, pueri & adolescentes, in vos ipsos descendite. Fui contumax, inquit Propheta, contra os ipsius. Quid appellat Propheta, os DEI? ubi nos audimus DEVM nobiscum loquentem? Os DEI est vox rectè docentium doctrinam legis & Euangelij in Ecclesijs & Scholis: ibi DEVS verè presens atq; efficax verbo suo, patefacit nobis æternum illud decretum de norma sapientia & iusticia suæ: & offert gratuitam remissionem peccatorum omnibus, ad filium mediatorem vera fide confugientibus.

Hanc DEI voluntatem ex ore docentium & discendum in Ecclesia & Schola urbis huius, DEI beneficio, a primis annis auditis: eam quo animo accipiatis: quo studio discatis: qua assiduitate exerceatis: qua fide animis vestris reponatis: testis est conscientia vestra: testes sunt mores vestri: testis est omnis vita vestra. Hoc verè est contumacem esse contra os DEI: contemtu non minùs, quàm epicureo, negligere verbum DEI: aspernari, & modo non irridere DEVM presentem, atq; efficacem in ministerio verbi & sacramentorum.

Sed quid vult sibi idololatriæ crimen, auditu sanè horrendum ac detestandum? Idololatriæ multi sunt gradus, alijs alijs manifestiores. Idololatria manifesta est, fingere DEVM, quod non est DEVS: sicut Ethnici coluerunt statuas, Jouis, Martis, Bacchi, Iunonis, Veneris. Alij sentiunt prorsus nihil esse DEVM: quales sunt Athei & Epicurei. Quidam colunt DEVM sine verbo. In quo vos gradu delinquatis: conscientiam dicere singulis dubium non est.

Duo sunt idola, quæ cæcis ducti cupiditatibus, magno cum periculo & animæ & corporis colunt adolescentes, Lyæus & Cytherea. Non dico Lyæum, illum truncum, turgidum, nudum, cornutum: quem etiam pueri derident: sed cottabos bicongios & tricongios: & amphitheta pocula: quibus haustis, quasi veneno inflammantur adolescentes, atq; in furorem aguntur: omnes honestatis atq; scientiæ igniculi in mente luccentes obscurantur, tandemq; suffocantur. Neq; Cythereã dico, pictam, fictam,

fiētam, sculptam, à Praxitele, seu Cnidiam illam, seu Coam, exanimem, elinguem, mutam: sed illam viuam, dicacem, procacem, lasciuam: quæ tendiculas ponit adolescentibus: eosdem blandimentis suis inescat, rapit, capit: tandemq; oculis & animi & corporis priuat: ut neq; in se agnoscant amplius hominem: neq; in scholis discerpant literas: nec praeceptorum audiant voces: non honestatis decus, non ornamentū ad vitam necessarium retineant vllum. Obsecro, quis de hoc grege veri se DEI cultorem profitebitur? quis turpissimorū se idolorum, cupiditatum suarum effrenatarum, esse mancipium, hisce moribus, inficias ire ausit?

Expectatis quid dicturus sim de parricidijs iustorū: quæ inter alias arumnas cum lacrymis deplorat Propheta? Omnium ætatum & gentium historie testantur: mæsticia extingui homines. Quando ergo ita viuimus: ut querelas de moribus nostris iustissimas fundant ministri verbi diuini, magistratus, parentes, praeceptores, ciues honesti: culpa nostra sine vlla dubitatione interficimus tales viros: qui sunt in numero eorum: quos hoc loco Propheta iustos appellat.

Agite, circumferamus oculos, atq; dispiciamus: quid post tam horrendam tot capitū stragem inter nos fiat. Quidam in ipsis penè mortis faucibus haerentes, a commessionibus diurnis, nocturnisq; nequaquam se abstinere possunt. Atq; quàm primū data est respirandi a periculo facultas: non primū ad aram confugiunt: non sacra faciunt: non DEO pro concessa vite incolumitate gratias agunt: sed, quos moribus suis colunt DEOS, Lyceo & Cythereæ incolumitatis suæ primitias offerunt. Hic cum homines pij, de salute Ecclesie, reipublicæ, scholarum, posteritatis solliciti, nullam vite in omni ætatum gradu videant emendationem: cogitate, amabo, non absq; ingenti dolore animi, eiusmodi vitā eos aspicere: ac verissimè moribus eiusmodi, indignis professione nominis Christiani, crudeliter interfici: non subito quidem impetu, & vulnere violento tolli: id quod leuius esset malum: sed longa carnificina excruciarī.

Accusat etiam vagatores in plateis Propheta: eorum deplorat cecitatem: eisq; nominatim exilium, de communi omnium gentium sententia, minatur. Admiratione sanè digna vox: sed diuina vox, ab ipso Spiritu Sancto dictata, literarumq; monumentis mandata. Verè cæci sunt, & nesciunt in quæ sepe præcipitia ferantur: qui publicam no-

nocturno tempore tranquillitatē turbant: ac tenebrarum caligine fre-
ri, in alia atq; alia scelera ceco impetu ruunt, classicum canunt, pugnas
cient, de lemuribus nocturnis triumphos agunt: sub ortum verò solis,
tanquam lucifuga, & osores luminis cœlestis in sua sese lustra recipiunt:
publicos Ecclesiarum & scholarum congressus negligunt: recedens
te sole, tanquam ad tenebras Cimmericas nati, in castra Andabatarum
cum armis & satellitibus suis reuertuntur. O verè & oculis & mente
captos homines. Obseruent hîc adolescentes tria insignia membra in
vocibus Propheta, de his Vespertilionibus. Primum tribuit eis cœcita-
tem: deinde reos agit cædis: tertio exilia huius generis hominibus
parata dicit. Cœcitatē & oculorum & mentis in nocturnis discursu-
sationibus concurrere manifestum est. Sanguinarios esse eosdem do-
cet experientia cædium immanissimarū: quæ à nocturnis grassatoribus
committuntur. Cædium verò inter alias pœnas, exilia etiam esse tri-
stissima apud omnium gentiū homines: ipse Propheta hoc loco pronun-
ciat. Qui enim de nocte domum suam non amat: sed discursationi-
bus intempestiuis quietem ciuium turbat: is non est dignus honesta ci-
uium consociatione: in qua ocio & tranquillitate fruatur. Hîc reuo-
cate vobis in memoriam, adolescentes, quoties superioribus annis ex ore
Præceptorum vestrorum hoc Propheta audiueritis oraculum: Non diu
in hac sede commorabuntur. Effrœnis petulantia iuuentutis, perfrin-
gentis omnia honesta disciplina repagula, causa est vastitatis & solitu-
dinis in Scholis.

Sed accusatio hac Propheta tam atrox pertinet, non ad solos discipu-
los: verum etiam ad præceptores: quos hîc Prophetarum appellatione
complectitur: Prophetæ vanas & stultas visiones tibi prædica-
runt: nec monstrarunt tibi peccatum tuum. Prophetarum, in-
quam, nomen etiam docentes in Scholis designat. Sunt enim Scholæ pars
ministerij publici in Ecclesia. Quapropter cum doctores noui testamen-
ti Propheta appellentur: propterea quòd ad enarrationem sacrarum li-
terarum, non minus requiratur reuelatio diuina, mentisq; illuminatio,
& cstante id cum alijs Melanthone: quàm ad rerum futurarum cognitio-
nem: has Propheta voces etiam ad docentes in Scholis pertinere scia-
mus.

Duo autem peccata in præceptoribus Jeremias reprehendit gra-
uissima:

uissima: negligentiam in tradenda doctrina utili & necessaria: & dissolutionem disciplinae scholasticae. Vanas & stultas visiones in Scholis (ad Scholas enim puerilem hanc nostram orationem pertinere diximus) nominat studia docentium ad ostentationem eruditionis composita: quibus inescata iuuentus, contendit ad superiora: & cum Icaro & Phaëthonte in caelum euolare, & currus solares regere conatur: neglectis fundamentis veris atq; firmis doctrinae catecheticae, artium & linguarum. Ita iuuenili ferocia atq; fastu, & docentium temeritate, in altum elati, lapsu tandem grauissimo ruunt: & publicas tum politiarum, tum Ecclesiae ac Scholarum res turbant. Peccata discipulis non monstrant praecipites: quando sunt remissiores in regendis discipulorum moribus, in castigandis delictis. Sed reprimis tempore hoc funestissimo, odiosas has sermonis partes: & ad tertium instituti nostri membrum accedo.

Hactenus ἰαλέμων ἐπιθ, seu ἰαλέμων ὠδὴν, lugubre carmen audiimus Propheta: quod commune est Ecclesiae DEI cum Philosophia. Est enim Philosophia perpetua meditatio & deploratio mortis & calamitatum generis humani. Ecclesia verò nō tantum mala intuetur: ac pœnas ceruicibus nostris incumbentes: sed ex verbo DEI, vel in turbulentissimis tempestatibus, dulcissimas atq; efficacissimas depromit consolationes: quibus tandem ex omnibus malis, adeoq; ex ipsa morte emergit: in paterna DEI castigatione suavissimè acquiescit: & quod Philosophis ἡδὸς ἐστὶν, gloriatur tanquam triumphans in afflictionibus. Quapropter in his Prophetae lamentis, non tantum mala in pœnis & pœnarum causis spectemus: sed etiam bona contemplemur: quae salutaribus consolationibus animos in arumnis erigunt, & è faucibus inferorum eripiunt. Omnis enim efficax consolatio obiectum intuetur bonum.

III.
Consolationes Ecclesiae propriae

Primam consolationem sumit Propheta à modo pœna: de quo memorabilem hanc, & plenam fide, inter gemitus & lacrymas fundit vocem:

I. Misericordiae DOMINI: quod non consumti sumus.

Non enim deficiunt miserationes eius: sed quotidie renouantur: & fidelitas tua magna est.

Cogitemus castigationem hanc verè à paterno fuisse profectam animo: & in tam saeva lue, ac dira fame praecipua & summa bona rerum

publicarum conseruata. Fucolum em videmus magistratum, quotidiana
nis periculis, curis & sollicitudinibus penè inextricabilibus irretitum.
Nemo non fatetur manifesta presentie suae testimonia DEVM osten-
disse in conseruandis Verbi diuini doctoribus: quorum pericula non
tantum publica, sed etiam priuata & domestica quis ignorat? Nun-
quam conticuit vox doctrinae in publicis Ecclesiae congressibus: nunquam
intermissa iacuit administratio sacramentorum. Imò verò, quo tristio-
ra fuerunt tempora: eo suauiores, ardentiores, efficaciores audiimus
conciones, consolationes, preces. Verè fuimus spectatores admirandae
quasi pugnae publicorum malorum & bonorum, in horrenda tempesta-
ta: in qua

Hi summo in flu&u pendent: his vnda dehiscens

Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.

Inter has procellas non repudiavit DEVS quotidianas reliquia-
rum Scholæ preces: sed singulari benignitate atq; clementia, saluam,
atq; ab omni lue puram seruauit hanc doctrinae puerilis sedem, atq; do-
micilium.

Ista summa DEI beneficia, in castigatione hac paterna, nō agnosce-
re: non magnifacere: non pro ijs DEO quotidie gratias agere: non
predicare: non inculcare iunioribus: non tradere memoriae posterita-
tis: peccatum est eiusmodi: quod tandem vniuersale excidium attra-
here solet: ac fontem misericordiae atq; beneficentiae diuinae obstruere:
de qua hic suauissimè dicitur: Misericordiae eius non deficiunt,
sed quotidie renouantur. Verbum K A L A, quod hic usurpatur,
significat claudere, obstruere: vt fontium scaturigines obstruuntur.
Celebrat bonitatem DEI infinitam: cuius fontem, perenni scaturigine
vberrimum, claudi posse negat.

Alteram consolationem sumit Propheta à promissionibus diuinis,
de conseruatione ac liberatione Ecclesiae.

II. Pars mea est Dominus, dicit anima mea: ideo spera-
bo in eo.

DEVS promisit se seruaturum Ecclesiam suam inter acies hosti-
les, & pericula quaecunq;: eamq; mirandis modis liberaturum: etiamsi
nos neq; modum conseruationis, neq; liberationis cernamus. Istaq; pro-
missionibus hisce diuinitus traditis, firma fide assentior: nec ab ycio fi-
duciam

duciam misericordie diuina in ullo afflictionum genere: sed scio me habere habere DEVM reconciliatum propter Filium intercessorem: ac me ipsum heredem esse vitæ & consuetudinis cum DEO aeternæ. Hac viuâ consolatio est, à Spiritu sancto accensa, verè extrahens corda è doloribus inferorum.

Elegans metathesis est in hac phrasi Spiritus Sancti: DOMINVS est pars Ecclesie: Ecclesia est pars DEI. Psal. 16. 73. 143. DOMINVS est pars mea. Sum membrum veræ Ecclesie DEI: rectè agnosco verum DEVM: inuoco ipsum fiducia filij: & iuxta verbum illius expecto lætitiâ & hereditatem vitæ aeternæ. Hunc thesaurum nulla calamitas mihi eripiet. Sic per metathesin dicitur, Deut. 32. Pars DOMINI est populus eius. Ecclesia rectè agnoscens ac inuocans DEVM, est peculium DEI: quod DEVS verè amat, potenter tuetur: nec id sibi vi vlla hostium, quamuis potentissimorum, eripi, aut opprimi calamitatum magnitudine patitur.

Tertia consolatio τὸ ἀδ' ὀζορ est illud, à causa finali calamitatum Ecclesie sumtum: Pœna & calamitates Ecclesie non sunt signa reiectionis. Verba Prophetæ sunt illustria:

III. Dominus non repellit in æternum. Etsi enim affligit: tamen iterum miseretur pro immensa misericordia sua. Non enim affligit, & cruciat filios hominum ex corde suo.

Non punimur à DEO: vt pereamus in malis: sed vt reuocemur ad pœnitentiam. Affligimur fame, morbis, lue contagiosa: sed nequaquam putemus nos excidisse promissione gratiæ. Imò firmissimè statuamus promissionem gratiæ immotam esse omnibus in Filium credentibus. Docet castigationibus hisce nos commonefieri: vt ad misericordie diuinæ agnitionem, ardentem inuocationem, & veros cultus DEI reuertamur. Promissio gratiæ & misericordie diuinæ est interpretis pœnarum: ac monet, calamitates vitæ præsentis non esse pœnas pijs exitiales: sed commonefactiones ac conciones diuinas de pœnitentia.

Consolationes has amplissimas, quæ intuentur bona præsentia & aeterna, ipsumq; DEVM nobis placatum per CHRISTVM, non nouit Philosophia: sed sola Ecclesia haurit solatia hæc è verbo diuinitus pate-

parefacto: & non nisi assidua meditatione doctrina caelestis, inuocatione & auxilio Spiritus sancti, in turbine calamitatum atq; erumnarum huius vite, & in morte ipsa retinentur.

Quemadmodum ergo audiuius Prophetam, propterea eadem peccata, easdem nobis decernere atq; ascribere pœnas: ita eiusdem quoq; vatis consolationes ad nos pertinere statuamus: nec in aduersis frangamur animis: omnemq; spem ac fiduciam misericordiae diuinae abijciamus: sed in pœnis haerentes conuertamus etiam oculos ad bona à DEO nobis seruata: quae cum malis pœnarum collata, excellentia sua, dignitate, usu atq; fructu, longè superant, leues illas, quae nobis intolerabiles videntur, erumnas. Cogitemus hîc de veritate ac certitudine promissionum diuinarum: semper ἀξιωμα illud imis sensibus repositum circumferamus: Viuo ego, dicit DOMINVS: nolo mortem peccatoris: sed volo, vt conuertatur & viuat. Punimur, non vt pereamus: sed vt reuocemur ad pœnitentiam.

III. **Conciones** **Pœnitentiae** *Qua autem sunt de pœnitentia conciones in his threnis? quid agendum nobis est: vt ex his emergamus malis? ne doloribus conscientiae opprimamur in pœnis? ne mentibus nostris consolationes diuinitus propositae excutiantur? quid, inquam, factum opus est? Audiamus Prophetae voces: Vias nostras scrutemur, & exquiramus. Et ad Dominum conuertamur. Attollamus cor nostrum, & manus ad Dominum in caelis. Nos peccauimus, & contumaces fuimus: ideo non pepercisti.*

Proponuntur hîc tres pœnitentiae partes: Contritio, fides, & noua obœdientia. Confessio peccatorum expressis verbis recitatur: quae praedicat iustitiam DEI in pœnis: ac verè dolet, quòd DEVM tam horribiliter offenderit. Hæc confessio non fit sine fide, intuente misericordiam DEI, ac sese erigente fiducia mediatoris, in terroribus conscientiae, & mole pœnarum. Noua obœdientia est pralucente fide DEVM inuocare, & peccata, causas tantarum calamitatum, serio vitare.

Vias nostras scrutemur, & exquiramus. Agnoscamus & vera cordis contritione deploremus peccata nostra: quibus & publicas & priuatas pœnas attraximus. Et ad DOMINVM conuertamur. Fiducia DOMINI nostri IESV CHRISTI petamus & accipiamus remissionem peccatorum: firmiterq; statuamus,
sordi-

nos in gratiam recipi, quamuis indignos, fædiſq; peccatorum ſordibus
pollutos. Attollamus cor noſtrum, & manus noſtras ad D O
M I N V M in cœlis. Detestemur idola, fiduciam præſidiorum
humanorum, diuitiarum, virtutum, meritorum noſtrorum. Hunc
ſolum verum D E V M, qui ſe patefecit expreſſo verbo, Patrem, Filium
& Spiritum ſanctum, agnoſcamus, colamus, inuocemus, huic credamus,
& iuxta normam verbi ab ipſo traditi, obœdientiam præſtemus.

Nos peccauimus, & contumaces fuimus: ideo non
pepercisti.

Inſigne eſt hoc oraculum, & axioma vniuerſale, monſtrans veram
cauſam: propter quam D E V S non amplius differt pœnas: ſed fundi-
tus euertit regna, politias, vrbes, ades publicas & priuatas. Eſt enim
nunquam ſumus ſine peccatis in hac vita: & non niſi cum exuuijs cor-
poris, naturam hanc peccatricem deponere poſſumus: tamen ingens di-
ſcrimen eſt inter peccata, & contumaciam in atrocibus peccatis. Pare-
cit D E V S populo tantisper: dum manet diſciplina, & puniuntur pec-
cata: vt aliqua pars populi mores emendet. Sed cum non ſolum peccat
multitudo: verum etiam impune peccat: confirmantur idola: & riſu
excipiuntur epicureæ opiniones ac libidines: in iſta atrocium peccato-
rum contumacia, ſine vlla dubitatione, impendent extrema calamita-
tes: vt accidit Aſia, Græcia, Aegypto, & vicinis gentibus: ac ſimiles
pœnæ omnibus alijs nationibus, uſdem de cauſis indies ſunt expectanda.

Propterea non tantum dicit Propheta: Peccauimus: ſed adijcit
etiam alterum membrum: Contumaces fuimus. Ad delicta atro-
cia acceſſit contumacia, non ſolum non dolens de amiſſis delictis: ſed
contumaciter ſpernens voluntatem D E I, verbo manifeſto propoſi-
tam: repugnans decretis magiſtratum: deniq; voluptatem capiens &
laudem quærens ex violatione legum ac contemtu pœnarum. Græci
hanc contumaciam ὑβρις appellant. Vnde iactatus eſt ille Græcorum
autorum ſcripſis verſus:

ὑβρις καὶ μάγνητας ἀπώλεσε, Ἐ κολοφῶνα. Vrbes opulentiffimæ
perierunt propter petulantiam & contumaciam in atrocibus delictis.

Exempla huius contumaciæ paſſim obuia ſunt in hiſtoria ſacrarum
literarum. Triftis extat querela 2. Paral. 36. de contumacia Iſraëli-
tarum: D O M I N V S D E V S patrum ipſorū miſit ad eos

E

nuncios

nuncios mane, quod est, in tempore: sed ipsi deriserunt nuncios
DEI, & contemserunt verba eius, & iudicati sunt Prophe-
tas: donec indignatio Domini cresceret contra populū suum:
& non relinqueretur locus remedio. *Auditis contumaciam in
peccatis excitare incendium ira DEI: quod restingui nequit. Sed ex-
empla huius contumaciae insignia leguntur in historia Jeremia: qui
contumacia populi capitis damnatur: contumacia principum in cœnum
abicitur: contumacia regis vaticinia eius, ut hæretica, igne cre-
mantur: contumacia reliquæ populi, post urbis excidium, in Aegy-
ptum, contra expressum interdictum DEI, descendunt: in Aegypto
Propheta dehortanti à cultu idolorum, & famem, pestem, gladium ex
ore DEI minitanti, multitudo Iudeorum contumacissimè respondet
his vocibus: Verbo, quod locutus es nobis in nomine DO-
MINI, non obœdiemus: sed faciemus iuxta verbum: quod
ex ore nostro egredietur: & sacrificabimus reginæ cœli: &
libationes eidem offeremus: sicut fecimus nos, & patres nos-
tri, reges nostri, & principes nostri, in ciuitatibus Iuda, & in
plateis Ierusalem. Et quæ alia auditu horrenda, eodem loco à multi-
tudine in maximis angustijs, contra OS DEI contumacissimè & con-
tumeliosissimè dicuntur, Ierem. 44.*

Ne ergo & nos contumacia nostra, in presenti castigatione, pro
virga paterna attrahamus virgam ferream, bella & incursiones gen-
tium barbarissimarum: quæ in ipsis limitibus Germania iam dudum
castra posuerunt: non tantum terreamur conspectu nostrorum peccato-
rum, animumq; despondeamus: sed tum doctrina, tum exemplo Pro-
pheta ducti, fide non dubitante statuamus: DEVM agentibus pœni-
tentiam propter Filium benignè affuturum: pœnas clementer mitiga-
turum: & barbaricas vastationes à politijs, œconomijs, & alueolis scho-
larum nostrarum in posterum quoq; auersurum.

V.
Quod si qui corpore sunt tam stupido: ut non sentiant malorum
Presentium magnitudinem: oculis ita cæci: ut nullas miseriarum pu-
Postrema pars, de blicarum causas cernant: auribus ita surdis: ut nullas animis consola-
tiones admittant: mente tam impia: ut nunquam de vite emenda-
agentium tione cogitent: deniq; ore tam impudente: ut scelerum suorum turpi-
pœnitentiã tudinem contumacissimè defendant: hi audiant descriptionem seculi
Illius

illius aurei, scilicet: quod Propheta non agentibus poenitentiam liberalissime promittit.

Urbes populoſe, inquit Ieremias, in ſolitudinem redigentur, ſolo equabuntur, ferarum ac beſtiarum luſtra erunt: infantes in plateis urbis contabefcent: lactentes in ipſarum matrum ſinu atq; complexu animas exhalabunt: pueri & puella tanquam pecudes rapiuntur ad lanienam, & in publicum abijcientur: virgines & matrone per vim ad omne genus libidinum protrahentur: matres (horrendum dictu, ſed à Propheta dictum) fructum ventris ſui comedent: foeminae famis (exultia in furorem acta, liberos manu ſua maectatos atq; laniatos coquent: ut famem expleant: reges in captiuitatem abducentur: principes per contumeliã & ludibrium ſuſpendentur: ſenes non ſedebunt in portis: nulla Reipub. erit adminiſtratio: iuniores non tractabunt inſtrumenta muſica: nulla erunt muſarum & literarum Scholæ: nemo accedet ad diem feſtum: nulli erunt congreſſus Eccleſiaſtici: non erit lex, non Propheta: nulli erunt cœtus docentium & diſcentium verbum DEI: in templis, trucidatis doctõribus atq; auditoribus, perſonabunt vociferationes hoſtium armatorum: qui ex omnibus orbis terrarum partibus, ad interneccionem noſtri, tanquam ad diem feſtum celebrandum, DEI mandato conuocati, aduolabunt: ac velocitate aquilas ſuperante, in montibus nos perſequentur: in deſerto inſidias nobis ſtruent: reliquæ à gentibus immaniſſimis in ſeruitutem longè duriffimam abripiuntur. Hic amicorum nullus, vicinorum nemo, ſolatio nos ſubleuabit: ludibrio ac delectamento omnibus erimus nationibus: ſarcaſmos hoſtium audiemus virulentiffimos: hereditatem noſtram occupabunt peregrini: aqua emenda erit pecunia: ligna precio comparanda: imperium in nos tenebunt ſerui, hominum viliffimi: DEVS preces noſtras ſurdis accipiet auribus: operiet ſe nube: ne oratio penetret: hoſtes nobis, maledictioni diuine obnoxys, perpetuum inijcient terrorem & pauorem: ignis iræ diuine fundamenta conſumet: DOMINVS, tanquam hoſtis, omnia palatia cuertet: nemo in die iræ DOMINI effugiet, ac ſuperſtes erit: deniq; totum (ut unico ipſius Propheta verbo omnia complectar) totum, inquam, mare calamitatum nos obruet: quod effugere noſtrum nemo poterit.

Audis tristem, GREGORI, loco *εὐφροδία* orationem: sed vita huic, quam nunc ingrederis, in primis utilem atq; necessariam. Etsi enim eloquentia Spiritus sancti, in his & alijs Prophetarum vaticinijs tanta est: ut verborum luminibus, sententiarum fluminibus, rerum ipsarum maiestate atq; pondere, omnem mentis humanae captum superet: tamen Spiritus sanctus ideo haec oracula diuina literarum voluit mandari monumentis: atq; in hunc vsq; diem, per annos 2190. in Ecclesia omnium gentium extare: ac vult deinceps ad omnem posteritatem propagari: ut docentes in Scholis illa legamus, animisq; insigamus: verba de ijs apud iuniores frequenter multumq; faciamus: in illis, tanquam in speculo, mala praesentia contemplemur: prauideamus futura: ponderemus malorum causas: quaramus firma solatia: atq; animos tum nostros, tum aliorum, lectione atq; tractatione carminis huius, ad veram paenitentiam excitemus.

Nequaquam enim bruta verborum in his lacrymis putemus esse fulmina: aut ociosas rerum praeteritarum commemorationes: sed duplici de causa plus in his, quam in alijs vaticinijs, ponderis inesse sciamus, nempe, propter euentum, & propter exemplum. Vaticinia haec Prophetae ipso euentu comprobata sunt: non ex rerum futurarum dubia atq; incerta cogitatione dependent. In exemplo excidij vrbis ac regni, in orbe terrarum florentissimi, expressae sunt, atq; ob oculos posita imagines similium paenarum, in similibus peccatis, non agentibus paenitentiam. Hinc ergo diuinationes minimè fallentes, de futuris euentibus, in rebus magnis petere licet: quorum omnes in rebus paruis cupidissimi: in magnis, & diuinitus monstratis, negligentissimi sumus.

Etsi verò maxima semper inter homines multitudo est impia atq; cyclopica: quae caeco, ne dicam diabolico impetu, ruit in paenas: ut apud poëtam de extremo hominum furore dicitur: *Cladibus irruimus: nocituraq; poscimus arma*: tamen semper aliqui, quamuis pauci, inuentuntur: qui voce diuina in Ecclesijs atq; Scholis commonefacti, multitudinis scelera detestantur, & à DEO mitigationem paenarum fiducia Filij saluatoris petunt atq; accipiunt.

Quapropter retineamus & nos animi, in discendis, docendisq; literis, constantiam: statuamusq; officij esse nostri: qui in hanc stationem collocamur: ut tanquam in acie, in qua magnae hostium copiae arma in

nos ferunt, assidue ac strenue cum vitijs primæ ætatis pugnemus: studiorumq; diligentia, morum honestate, vitæ continentia, iuventuti fidei nostræ commissa facem præferamus. Fà te, GREGORI, autoritate Senatus amplissimi huius Respub. & Scholarcharum, prudentissimorum virorum, in collegium docentium Scholæ huius cooptatum, summo studio fideq; facturum: ærumna tuæ literarum amore in Academia susceptæ, spem nobis non dubiam facere videntur. Quod restat, studiorum tuorum, breue nunc specimen edas: ne in præsentia iusto prolixiores simus. Legum enim recitationes differemus in Calendas Maias, Augustas, Nouembres, Februarias: quibus de studijs, moribusq; vestris, è præceptoribus reliquis utiles atq; necessarias, DEO volente, commonefactiones audituri estis.

In studiorum ratione eundem retinebimus ordinem lectionum, repetitionum, exercitiorum: quo superiore anno vsi sumus. Quod si quid amplius etiam à nobis præstari, pro nostra tenuitate, poterit: ea quoq; in re nemo docentium operam, fidem, assiduitatem, industriam suam, aspirante DEO, requiri patietur.

Cum verò sine auxilio DEI irrita sint omnia consilia, omnes conatus nostri, labores omnes: ac preces congressuum publicorum manifestas habeant promissiones, à Filio DEI propositas: Si duo ex vobis consenserint super terram: quicquid petierint, id accipient à patre meo: qui in cœlis est. Item, Vbiq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo: in medio eorum sum: non fracti hac Scholæ in præsentia vastitate atq; solitudine, sed confirmati vocibus promissionum diuinarum: coniunctis animis atq; votis sic prece mur.

Omnipotens, æterne, vere, viue DEVS: Pater Domini nostri IESV CHRISTI: conditor & conservator omnium creaturarum: unà cum Filio tuo, & Spiritu sancto: qui per os Prophetarum tuorum Amos. 3. dixisti: Non est malum in ciuitate: quod non fecit DOMINVS. Item, Thren. 3. Quid murmurat homo contra

Deum? unusquisq³ murmuret contra peccatū suum.
Nos agnoscimus & deploramus peccata nostra mul-
tiplicia: quibus iram tuam ab ineunte etate provoca-
uimus: Euangelij doctrinam per Filium è sinu tuo
allatam, & mirandis testimonijs confirmatā, negli-
genter didicimus: ingens illud atq³ inenarrabile be-
neficium instauratæ hac etate lucis doctrina, de gra-
tuita remissione peccatorum, sola fide accipienda, non
magni fecimus: lumen artium & linguarum denuo
accensum parui pendimus: in discendis, docendis,
propagandis literis, segnes & remissi fuimus: vita,
moribusq³ nostris multis te modis offendimus: atq³
iram tuam iustissimam & pœnas æternas meriti su-
mus. Sed fiducia Filij tui dilecti, Domini & salva-
toris nostri IESV CHRISTI, nos quoq³ cum uni-
uersa Ecclesia, quam tibi voce Euangelij ex genere hu-
mano colligis, leuamus corda nostra, & manus no-
stras ad te D O M I N E in cœlis: & fide quamuis lan-
guida, attamen fide petimus: ut remittas nobis pec-
cata nostra: & Spiritu sancto tuo nos uiuifices, san-
ctifices, sanes, regas, atq³ iuues: ut verbum tuum ve-
rè amemus, cupide audiamus, studiosè discamus: &
iuxta normam illius tibi obœdiamus. Non abscon-
das aures tuas à gemitu & clamore nostro. Appro-
pinqua

pinqua ad nos, te iuxta mandatum tuum inuocantes,
& dicas: Nolite timere. Conuerte nos D O M I N E,
& conuertemur. Renoua dies nostros, sicut à princi-
pio. Scholam hanc, nostra negligentia, petulantia,
contumacia, alijsq; delictis dissipatam, tu misericor-
dia, clementia & bonitate tua in suum locum resti-
tuas: literarũ studia in loco hoc, in quo nomen tuum
ore docentium & discipulorum inuocatur, celebratur,
colitur, iuues, prouehas, protegas, & nobis atq; po-
steritati conserues. Propter te, propter te facias, I E-
S V C H R I S T E: qui de cœtu puerili dulcissimã hanc
vocem edidisti: Ex ore infantium & lactentium
perfecisti tibi laudem. Nostræ iniquitates meren-
tur pœnas: sed tu propter nomen tuum nostri mise-
rearis. Quare ceu vagabundus viator à nobis
discessurus es? maneto in domicilio tuo:
quod vocem doctrinae tuæ expetit
& discit, A M E N.



N 807
2

Instauratio
EXERCITIO
RVM SCHOLASTICORVM
IN SCHOLA GORLICENSI,
POST PESTEM.

*Breuiter ostendens, unde sint sumpta appellationes clas-
sum, tribuum, decuriarum in scholis, et quibus
de causis hodie sint retinenda.*

Item:

Breuis historia Comitiorum Romanorum.

PSAL: 30.

DOMINE deduxisti ab inferno animam meam :
viuificasti me à descendentibus in sepulchrum :
vt tibi cantet gloria mea : & non fileat. DO-
MINE, DEVS meus, in æternum confitebor
tibi,

ANNO

M. D. LXXVI.

ERVDITIONE

ET VIRTUTE PRAESTANTI-

BVS VIRIS, DOMINO M. MARTINO

MYLIO, Dn. GEORGIO RHONIO, & Dn. PAV-

LO POPILIO, Gorlicensibus, Compatr. amicis, &

Collegis suis fidelissimis & carissimis, S. D.



VAM necessaria sit adolescentibus ad lectionem Ciceronis; Romanae historiae brevis & succincta cognitio; sola Comitiorum acta monstrant; quae nisi probe cognita atq; perspecta habeant adolescentes; in multis apud Ciceronem locis haerere eos, tanquam naues in scopulis, necesse est.

Comitijs centuriatis Consul ex senatusconsulto proponebat per dies plures edictum, in tabella scriptum; ad quem diem populo conueniendum esset. Post edicta comitia, trinundini spacium relinquebatur ante diem Comitiorum; vt ad eum diem populus vndique ex Italia conuenire posset; & vt candidati, qui magistratum aliquem petebant, non modo urbanae, sed etiam rusticanae multitudini supplicare possent. Candidati sine tunica veniebant ad supplicandum populo; illa sola toga candida, eaq; recincta induti; vt a populo dinoscerentur; qui magistratus adirent. Qui ex candidatis digni videbantur; quorum ratio haberetur; eorum nomen Consul recipiebat. Candidati, qui magistratu indigni videbantur, magistratus iudicio, aut senatus decreto, suffragijs populi excludebantur. Libera tamen, cum voce suffragium ferebatur, populo relinquebantur suffragia; vt ex omnibus ciuibus crearet, quos vellet, magistratus; si modo ij essent; quorum ratio haberi legibus posset.

A 2

Vt

Vt verò Comitia auguratò haberentur: Consul priusquam in campum Martium venisset, captabat auspicia: iubens augurem ex auibus, cæterisq; signis auguralis scientiæ, Iouis voluntatem interpretari. Vbi aliquid mali ominis vidissent augures, obnunciabant: hoc est, indicabant malum illud: propter quod non liceret agere cum populo. Tribuni & alij magistratus intercedebant: si nollent aliquid istis Comitijs cum populo peragi.

Postquam populus conuenisset ad diem edicti in campo Martio: priusquam in centurias distribueretur: magistratus habebat concionem ad populum: qua rogabatur populus: vt id, de quo ageretur, iubere, aut vetare vellet. Erat enim omnium actionum cum populo commune principium: **VELITIS, IUBEATIS, QUIRITES.** Ex hac dicendi formula nomen ortum est rogationis. His peractis iubebat magistratus populum in suas discedere centurias.

Postremis temporibus, quibus omnes Italiæ focij in tribus Romanas recepti erant: aucto centuriarũ in classibus numero: tandem centuriæ, pro ætate, censu, ordine, per XXXV tribus erant descriptæ. Itaq; sortitio fiebat prima inter tribus: altera inter centurias eiusdem tribus: quæ prima, fortibus in cistellam coniectis, exisset tribus: ex illa eadem sorte, legebatur centuria prærogatiua: cuius omen reliquæ centuriæ ferè sequebantur Comitijs tributis. In creatione sacerdotum, ex triginta quinque tribubus in cistellam coniectis, septendecim tantum tribus ex eo numero educebantur: quarum suffragijs staretur.

Ante leges tabellarias Populus voce suffragium ferebat: postea cœpit tabella suffragium ferre. Cum voce diceretur suffragium: erant in singulis centurijs rogatores: qui singulorum rogabant sententias: quas palam proferebant. In quam partem plures eiusdem centuriæ homines inclinassent: ea totius centuriæ sententia censebatur: quam deinde rogator

tor

tor præconem pronunciare iubebat. In magistratuū Comitij nominatim compellabantur singuli : quem vellent magistratum creari. In comitijs legum, cum Populus legem accipiebat : his utebatur verbis solennibus : **V T I R O G A S.** Cum verò legem non accipiebat : vsurpabat solenne verbum : **ANTIQVO.**

Tabellas ministrabant Populo suffragium inituro diribitores, iussu magistratus. Diribitis tabellis succedebant rogatores : qui cistas deferebant : in quas Populus tabellas suffragiorum conijciebat. Postquam totius centuriæ tabellæ collectæ essent : tum educēdis suffragijs adhibebantur custodes : quorum munus erat describere suffragia : vt ea centuriæ sententia renunciaretur : in quam plures consensissent. Fuit etiam lex Maria : vt ad reprimendum ambitū pontes fierent : ne quis cōsistere ibi posset, ad appellandū, rogandumq; , præter eum : qui suffragium ferret. Tales fuisse plures ponticulos in comitijs etiam tributis, in campo, in foro : è libro ad Herennium primo patet : vbi Cepionem eos ponticulos, non confregisse, sed disturbasse, scribitur.

Die Comitiorum Candidatis omnibus licebat supplicandi causa currere circum tribus : quamdiu diuisus per tribus populus, nondum erat ad suffragium vocatus.

Consul sedens in sella curuli pro tribunali comitali, centurias vocauit : & vocatas, vbi opus esset, reuocauit. Locus in quo centuria prærogatiua erat, appellabatur Ouile. Postea loca, in quibus dicebantur suffragia, cancellis clausa fuerunt. Apud Ciceronem septa nominantur, tabulatis inclusa. Cuius Candidati nomen plures continebant tabellæ : is Consul, Prætorue factus renunciabatur. Centuriæ prærogatiuæ sententia renunciabatur prima : antequam reliquæ vocarentur. Singulatim deinceps cuiusq; centuriæ sententia renunciabatur : vt quæq; suffragium dixerat.

Primæ classis centuriæ, cum equitum centurijs, quæ post prærogatiuam centuriam, prius vocabantur, quam peditum, & prærogatiua, numero superarunt reliquas omnium classium centurias. Itaque satis erat ad legitimum suffragiorum numerum conficiendum: omnes primæ classis centurias idem sensisse: nec prius poterat, quæ sententia Populi esset, decerni: quam tota prima classis suffragium dixisset: quod tum demum verum esset: maiorem partem centuriarum vocatam fuisse. At si non idem cum prærogatiua sensissent omnes primæ classis centuriæ: vocandæ erant classis secundæ centuriæ: ut cum altera parte se coniungerent: ac sic deinceps eo usque vocabantur centuriæ per ordines classium: dum plures ex omni centuriarum numero consensisse constaret. Simul autem atque id factum esset: finis erat Comitiorum. Qui primus legitimum per gradus suffragiorum confecit numerum: is prior renunciabatur.

Finitis legum Comitibus: legem acceptam; aut antiquatam magistratus pronuntiabat, populumque dimittebat. In magistratum verò Comitibus solebat is, qui habebat Comitibus, priusquam populum dimitteret, eos renunciare: quos iam sæpe à præconibus pronuntiatos populus creasset: adiecta solenni precatatione. Qui verò Consules designati erant: domum è campo deducebantur, à magna multitudine populi, præsertim propinquorum & necessariorum.

Hæc historiæ series cum deesset lusionibus nostris scholasticis: volui eam hoc loci commemorare: tum ut hac quasi accessione lacunam illam explerem: tum ut adolescentibus monstrarem: quod lumen lectioni scriptorum Ciceronis afferret certa atque distincta series historiæ Romanæ.

Quid de phrasi dicam? cuius proprietatem multis in locis apud Ciceronem discernere nemo potest sine historia reipublicæ Romanæ. In legibus ferendis, qui triundino, id est, tribus nundinarum diebus, legem in vulgus edebat: PROMULGARE legem dicebatur: PROPONERE, qui legem

gem scriptam publicè exhibebat; PROSCRIBERE; qui nomen suum ascribebat: ROGARE, qui in concione populo necessitatem atq; utilitatem legis ostendebat, & rogabat: vt populus frequens in legum Comitijs adesset: SVADERE legem is: qui rogatus à legislatore suadebat populo: vt legem acciperet. Hic legis autor appellabatur. Vnde & primis temporibus patres autores fieri dicebantur: qui rogati, leges hoc modo suadebant. Tandem FERRE legem dicebatur: qui eam in Comitijs, populi suffragijs committebat. Hoc erat εἰσφέρειν, legem in medium afferre.

Hæc phrasium Grammatica, est historica: ac tota ex Comitiorum historia pendet: quæ si scholis nostris nota esset; minus hærerent adolescentes in legendo Cicerone; & minus sudarent in scribendis atq; euoluendis immensis incertorum, confusorum, ac sæpe contrariorum dictatorum in scholis voluminibus. Itaq; utilissimam studijs Latinæ linguæ operam nauarunt nobilissimi viri, lumina atq; ornamenta eruditorum hac ætate, Manutius, Budæus, Sigonius, Hotomannus, Gruchius, & alij horum vestigia, ductumq; secuti: qui in colligenda, distribuenda, explicanda Romana historia, plurimum studij atq; laboris posuerunt.

Sed cum tantorum virorum libri eruditissimè scripti, in manibus discentium non versentur: ac copiosè ab illis scripta & disputata, adolescentibus breuiter proponenda sint: intelligitis, Compatres, Collegæ, & amici carissimi: ex illorum, quos dixi, virorum laudatissimorum libris, vobis, qui Ciceronis scripta iuuentuti proponitis, seriem singularum partium Romanæ historiæ excerpendam: qua discentium, in lectione scriptorum Ciceronis, studia atq; conatus subleuetis. Quod si vobis inter has occupationes impeditissimas, non tantum est ocij: saltem mecum operam detis: vt ab amico aliquo, Ciceronianæ eloquentiæ, ac Romanæ historiæ studioso, impetrare munus hoc tum huic nostræ, tum alijs scholis liceat.

Expertus

Expertus es re ipsa, M. MARTINE, Compater & Collega
spectatissime : præceptionibus Grammaticis ac Rhetoricis,
de compositione atq; imitatione Ciceroniana (quæ ipsa ad
Virgilianam quoq; imitationē non parū ponderis afferunt)
à te hætenus traditis, seduloq; iuuentuti inculcatis, pluri-
mos fecisse progressiones in styli exercitijs, hac ætate minimè
contemnendas; neq; lectionum publicarum libellis conten-
tos fuisse; verùm ad reliqua etiam Ciceronis scripta, animum
adiēcisse. Quod si Grammatica illa in manibus esset adole-
scentium historica; breuib; narrationibus omnia Cicero-
nis scripta explanans: quas, quæso, putas scholarum triuia-
lium studijs accessiones in dies futuras? Eadem mea de phra-
sibus, & historia doctrinæ Philosophicæ apud Ciceronem,
est sententia. Impedimenta, remora, & onera meorum laborum
quæ sint: quotidiani vos testes estis & spectatores. Lu-
siones verò has nostras pueriles inter pueros; à VALENTINO
IRENAEO TROCEDORFIO in scholam Goldbergicam in-
troductas, vt apud ignaros laborum scholasticorum homi-
nes excusetis: vestræ erit prouinciæ. Bonos in bonam par-
tem accepturos non dubitamus. Equidem iuuentutis ani-
mos ab ijs nequaquam abhorrere, satis intellexistis. Valete.
Gorlicij LVSATIORVM, Calend. Maij. An. 1586.

*Laurentius Ludovicus
Leobergensis.*

INSTAV,

INSTAVRATIO
SENATVS ET
FORI SCHOLASTICI, DECLAMATIONVM, DISPUTATIONVM, AC RELIQUORVM EXERCITIORVM INVENTVTIS IN SCHOLA

GORLICENSI.

PSALMVS XXX.

- I. EXALTABO TE DOMINE: quoniam (è puteo) extraxisti me: & non delectasti inimicos meos super me.

DOMINE, IEHOVA. Omnipotens, aeternae, vere, viue DEVS: qui tradito Ecclesiae tuae certo verbo, patefecisti te, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: gratias agimus tibi toto pectore: & celebramus immensam hanc bonitatem tuam: quòd propter Filium redemptorem nostrum, clementer nos liberasti à malis atq; erumnis pestilentissimae tuae: ac repressisti rabiem atq; furorem diabolorum, hostium tuorum, & Ecclesiae tuae: ne nos vniuersos, ceu in puteum, ac caenum profundum immersos perderent: atq; Rempub. Ecclesiam & Scholam nostram prorsus dissiparent, ac funditus euerterent.

- II. DOMINE DEVS meus, clamaui ad te: & sanasti me.

DOMINE, IEHOVA. Aeternae, vere, viue DEVS: qui misso Filio tuo, Domino nostro IESV CHRISTO, tradidisti promissionem Euangelij: qua polliceris, te omnes fiducia Filij tui ad te confluentes recepturum in gratiam: nos in miserijs & calamitatibus nostris, in nomine CHRISTI te inuocauimus: à te per & propter illum opem atq; salutem petiuimus: tu nos iuxta promissionem tuam benigne exaudiuisti, iuuisti, sanasti, atq; à dira pestis contagione liberasti: saluos atq; incolumes in hunc usq; diem seruasti: Rempublicam, Ecclesiam, Scholam Oeconomias, in locum suum restituiisti: omnesq; molitiones

B

tionēs

tionem ac machinationes Satanae, in perniciem nostram instructas, diuina tua potentia euertisti.

III. DOMINE, deduxisti ab inferno animam meam; & viuificasti me à descendentibus in sepulchrum.

DOMINE, IEHOVA, Vere, vnice DEVS: qui es aternus Pater, aternus Filius, & aternus Spiritus Sanctus: pestis sauisissima celerius opinione omnium, corripuit diuersas urbis nostrae regiones, stragemq; ingentem edidit: nos mali tanti magnitudine atq; atrocitate territi, omnem vitam nostrae spem abiiecimus: ac conspectu peccatorum nostrorum, iraq; tuae iustissimae sensu consternati, luctati sumus cum desperatione atq; abiectioe aeterna: uerè dolores inferorum sensimus: omniq; ope humana destituti, dubitauimus de tua praesentia & misericordia. Sed tu nos ad te clamantes atq; gementes, propter Filium unigenitum clementer audiisti: inter pericula quotidiana luis atrocissimae benigne nos tutatus es: animos metu penè extinctos, Spiritu sancto tuo erexisti, confirmasti, viuificasti: tela diaboli uenenata, dies noctesq; uolitantia, per angelos tuos a nobis auertisti: vitam in te sperantibus donasti: congressus publicos in Ecclesia & schola restituiisti: tibiq; semen sanctum, te rectè inuocantium & colentium, inter nos quoq; seruasti.

III. Psallite DOMINO sancti eius; & confitemini memoriae sanctitatis eius.

Hanc tuam misericordiam atq; bonitatem immensam celebramus cum uniuersa Ecclesia: quae sancta est partim imputatione, partim incoatione. Tu credentibus in Filium mediatorè remittis peccata: sanctificas eos Spiritu tuo Sancto: pronuncias eos iustos & sanctos: etiamsi multiplicem circumferant imbellicitatem, & reliquias peccatorum & sordium. Tu nomine Filij tui, ad te, inter mala uitae huius inextricabilia, clamantes exaudis: tu liberatos benignitate tua, vis memori & grata mente celebrare beneficia tua. Rege & iuuauos Spiritu Sancto tuo: ut hanc tuorum beneficiorum memoriam perpetuo retineamus: atq; in omnem aeternitatem, gratis animis cum tota Ecclesia celebremus.

V. Quoniam momentum ira eius; & uita delectatur; ad uesperum demorabitur fletus; ad matutinum laetitia.

Tu

Tu nos punis: non ut perdas: sed ut serues: & vitā atq; letitiam restituas: In ira recordaris misericordie tue: non accendis totā iram tuam: quæ est ignis consumens. Tu non vis mortem peccatoris: sed ut conuertatur, & viuat. Castigas nos, ut in pœnis agnoscamus peccata nostra: ut petamus atq; amplectamur fiducia Filij tui remissionem peccatorum: ut siamus heredes vitæ & lætitiæ æternæ. Calamitates huius vitæ, quæ nobis videntur spaciū multorum seculorum, momentū breue sunt: si conferantur cum gaudio ac lætitiæ æternæ.

VI. Ego dixi in prosperitate mea: non mouebor in æternum.

VII. DOMINE in beneuolentia tua constabiliuisti montem meum: cum absconderes faciem tuam: conturbatus sum.

DOMINE, IEHOVA. *Æterne Pater, qui nos recipis in gratiam propter Filium: ac Spiritu Sancto tuo regeneras ad vitam æternam: quando sustentamur consolatione clementiæ ac bonitatis tuæ, per & propter Filium exhibita: optimè armati & muniti sumus aduersus calamitates & mala præsentia, & æterna. Sed quando tu subtrahis auxilium Spiritus tui: non potest imbecillitas nature nostræ sustinere Satanae ac mundi impetum: sed ruimus in tristissimam consternationem: & conflictamur in aduersis tanta cum mœsticia: ut parum absimus a desperatione, ac ruina in exitium æternum.*

VIII. Ad te DOMINE clamabam: DEVM deprecabar.

Cum demersi essemus in mala, consilijs humanis inextricabilia: confugiebamus non ad numina commentitia: sed ad DOMINVM, IEHOVAM, verum DEVM, colligentem sibi voce Euangelij Ecclesiã in genere humano: huius misericordiam, opem atq; auxilium implorabamus: ab eo veniam nostrorum delictorum, nomine Filij saluatoris petebamus. A DEO irato confugiebamus ad DEVM misericordem.

IX. Quæ utilitas in sanguine meo: cum descendero in foueam? numquid gratias aget tibi puluis? aut annuntiabit veritatem tuam.

Tu seruas in hac vita Ecclesiam: quæ te rectè agnoscat, inuocet, celebret: tibi gratias agat: doctrinam verbi tui propaget: ac tibi iuxta verbum tuum obædiat. Oppressi doloribus inferorum, & morte æterna, non amplectuntur verbum tuum: non agnoscunt, non celebrant, non inuocant te: sed frementes aduersus iustum iudicium tuum, cumulant blasphemias & furores in tota æternitate. Quare, cum propterea edideris promissionem misericordiae: ut aliqui essent te rectè agnoscentes, inuocantes atq; colentes: ne sinas nos ruere in mortem æternam: ne sinas nos esse vasa iræ in tota æternitate: ne cum diabolis nos abijcias in pœnas æternas: sed fac nos vasa misericordiae: ut nomen tuum profiteamur: ut te rectè inuocemus: & æterna consuetudine tecum, in Ecclesia angelorum, & hominum electorum, lati fruamur.

X. Audi DOMINE, & miserere mei; DOMINE sis adiutor meus.

Tu mandas, ac seriò postulas: ut te inuocemus: ideo credimus, te confugientes ad te iuxta mandatum tuum, propter Filium deprecato-rem nunc quoq; & semper exauditurum. Tu offers omnibus, peccato & morte oppressis, misericordiam & liberationem, per & propter Filium, factum pro nobis victimam: propterea non dubitamus de tuo auxilio, & gubernatione, inter assidua huius vitæ pericula, miseras, ærumnas, afflictiones.

XI. Conuertisti planctum meum in chorum: concidisti saccum meum: & circumdedisti me lætitia.

Nequaquam irrita fuerunt preces te inuocantium: sed impetrauimus a te lætam ærumnarum nostrarum Catastrophæ. Antea atrati fudimus lacrymas, oppressi mœstitia, dolore, atq; ægritudine animi: nec vlllo momento tuti fuimus a iaculis venenatis venatoris pestilentissimi: spectauimus ingentem pestilitatis stragem, & funera quotidiana. Jam verò repressis lacrymis, sublato luctu, remoto omni periculo, atq; metu contagionis, sumimus vestitam cultiorem: frequentamus congressus honestos in publicis & priuatis locis: in quibus omnia personant gaudio ac lætitia, te & voce & animo laudantium atq; celebrantium.

XII. Ut tibi cantet gloria mea: & non fileat, DOMINE, DEVS meus, in æternum confitebor tibi.

His

His immensis beneficijs tu nos affecisti, DOMINE, IEHOVA, vere, & unice DEVS, propter Filium intercessorem: non ut deinceps reuertamur ad omnis generis peccata: nos omni scelerum turpitudine polluamus: ac voluptatibus huius vite, pecudum ritu dedissemus. Sed ideo nos a saualue incolumes seruasti: ideo nobis vitam prorogasti: ideo nobis politiam, Ecclesiam, & scholam hanc restituiisti: ut in posterum canamus gloriam tuam: ut predicemus exemplum immensa tuae misericordiae, nobis exhibita: ut doctrinam Euangelij & bonarum artium rectius discamus: ut eam nostro studio, fide, atq; diligentia ad posteritatem propagemus: ut ipsi vitam, moresq; emendemus: vera poenitentia ad te conuertamur: & tibi omnibus diebus vita nostra seruiamus. IEHOVA, aeternae Pater, rege tu nos Spiritu sancto tuo, propter Filium tuum, DOMINUM nostrum IESUM CHRISTUM, & iuua nos: ut haec tua beneficia, nobis hoc anno exhibita, intimis sensibus reponamus: vera animi gratitudine celebremus: ad te vero corde conuertamur: ne seruiamus deinceps diabolo, sed tibi: ne augeamus regnum Diaboli, sed tuum: ne faciamus voluntate Diaboli, sed tuam. Deniq; iuua nos: ut & in hac & in futura vita, tibi in aeternum confiteamur: verbum tuum discamus, doceamus, amplectamur, profiteamur. Amen.

Hanc gratiarum actionem, & has preces, a Spiritu Sancto, in psalmo trigesimo, vniuersae Ecclesiae praescriptas, in praesentia ideo repetimus: ut publicum in schola apud iuuentutem testimonium extet de gratitudine: quam DEO debemus, pro immensa atq; ineffabili bonitate: quod a malis longe grauissimis, nos non tantum liberauit: sed etiam bona priora, necessaria ad vitam presentis, tum futurae salutem, non modo benigne restituit: verum etiam pro paterna sua clementia, cumulate auxit. Deinde ut singuli commonefiant: se DEO debere perpetuam animi gratitudinem pro vita incolumitate: nec subito memoriam tanti beneficij deponendam, & ad sordes prioris vitae redeundum: sed hoc potius singulis statuendum esse: DEVM seuerissime a nobis requirere vitae emendationem: ac serio velle nos agnoscere, & iram illius aduersus peccata nostra: & misericordiam in poenis, rigorem seuerae iusticiae temperantem, ac mitigantem. Hoc nisi fecerimus singuli: quibus DEVS vitam prorogauit in lae illa pestilenti: non tantum sentiemus

in posterum pestilentiam & famem: sed bella etiam cruentissima & funestissima: quae barbaricas afferre solent vastitates: quemadmodum hodie factum videmus in vniuersa Asia, Africa & in florentissima Europa parte. Ne ergo peccatis nostris, tum nobis, tum posteritati grauiores attrahamus pœnas: sæpe his psalmi verbis DEO pro acceptis beneficijs gratias agamus.

Schola in-
stauratio.

Est autem inter beneficia DEI, quibus nos hodie fruimur, imò verò obruimur, non in postremis, sed in primis ponenda, schola huius instauratio atq; frequentia: quam immediatè a DEO proficisci, omnes fateantur necesse est. Quis enim nostrū, in tanta solitudine, dissipatione atq; raritate tum docentium tum discipulorum, optare ausus fuisset intra biennium, trienniumue, tantam omnium ordinum frequentiam: quantum intra duos, & tres menses, ne dicam paucorum dierum intervallo vidimus. De ciuium frequentia, ne magna nobis spes esset: pestis in tot capita saeuens in causa fuit. De aduenis spem omnem nobis eripuit tum aura illa rumoris improbisimi: quo omnia subuersa, atq; a peste depasta ferebantur: tum memoria superiorum annorum atq; exemplorum: quibus didicimus, scholas semel dissipatas, non sine longi temporis difficultate in mediocrem restitui statum. E ciuium liberis, DEVS, quae immensa ipsius est bonitas, tot seruauit saluos atq; incolumes: ut nulla classis ab ijs sit vacua: quaedam prorsus repleta: nihil omnino cuiquam e praeceptoribus de laboribus suis decesserit: priores opera, lectiones, classes, tribus, curiae omnes sint reliquae. Aduenarum concursum non nobis tantum, sed vobis ipsis scitis admirationi fuisse: cum multocius referta inuenirent discipulis auditoria: quam quidquam de schola vel incolumitate, vel restitutione audiissent.

Hac immediatè a DEO proficisci: non a consilio humano: aut industria, conatu, vel studio ullo nostro: quae nullius ponderis atq; momenti esse non ignoramus: negabit nemo. Vult DEVS in republica hac honestissima atq; laudatissima, ad huc reliquias esse aliquas studiorum pueritum: vult instillari semina pietatis & doctrinae Evangelij teneris mentibus: vult adhuc quosdam rectè preparari ad studia Academica, & disciplinas superiores: deniq; testatur DEVS immenso beneficiorum cumulo: seriò velle se, ac postulare: ut singuli tam docentes, quam discipuli, concessa hac diuinitus tractandarū literarum occasione, rectè ac stre-

ac strenuè utantur: ne vel negligentia, vel petulantia sua hoc bonum diuinum abijcere, aut pedibus proculcare videantur.

Re autem ipsa didicistis, adolescentes, hæctenus: ad progressionem atq; incrementa iusta studiorum vestrorum plurimum profuisse exercitia styli, declamationum, disputationum, iudiciorum publicorum, memoria, in senatu, in foro, & concione scholastica.

Exercitia
publica.

Quando enim in publicis styli exercitijs, alij aliorum scripta audiunt, præsertim eorum: quos præceptores iudicant aliquid operæ nauasse: non potest publica illa comunium studiorum atq; laborum collatio abire absq; omni fructu. Dum enim alij hesitant in inuentione, alij in dispositione, alij in elocutione: exemplis peritiorum, & quidem plurium, quasi manu ducuntur: vestigia commilitonum sequuntur: atq; iter vel ignotum, vel salebris ac formidine plenum, maiore animi fiducia, alacritate atq; successu ingrediuntur.

I.
Scriptorum
publica col-
latio.

Declamatorum certamina, de argumento eodem, excitat loci insolentia, auditorum expectatio, Senatus scholastici censura, sententia de singulorum orationibus publicè pronunciata: spes ac cupiditas minimè reprehendenda, honesta victoria: repulsa carens omni ignominia, seu contumelia.

II.
Declama-
tiones.

Disputatiuncula commendant doctrinam & dignitatē organi Melanthonij: monstrant usum præceptionum dialecticarum: expeditam reddunt atq; promptam memoriam: assuefaciunt iuniores ad terminos artis: continent eos intra carceres, atq; metas artis: reprimunt animos feroces, ac spiritus elatos: flectunt mentes iuniorum paulatim ad amorem veritatis: instillant odium sophisticæ: acuum ingenia breuibus atq; rotundis argumentationum formis: deniq; aurea organi Melanthonij axiomata, & regulas vetustatis, scholis utilissimas, in publica quasi scholastici cætus memoria deponunt, atq; recondunt.

III.
Disputati-
uncula.

Judicia in foro & senatu scholastico nerui sunt disciplina scholastica inter adultos. Magna præceptores assidui intelligunt e paruis: & documenta rerum seriarum e ludis puerilibus capiunt. Dum enim alia aguntur: dum rei pœnam cum studiorum utilitate coniunctâ subeunt: dum iudices ferendis sententijs occupati sunt: dum corona scholastica oculorum seruat obtutum, superciliorum aut remissionem, aut contractionem, mœsticiam, hilaritatem, locutionem, reticentiam, vocis conten-

IIII.
Iudicia fori
scholastici.

tionem.

ventionem, summisionem, & cetera similia: hic praepiores ex vultu ipso, ex habitu, ex genere orationis, defensione, excusatione, deprecatione, pollicitatione, presagia sumunt, & ceu vaticinia quadam haud saepe fallentia, de futuro vita cursu, de progressu in studijs, de moribus & successu in omni vita eorū: qui in foro scholastico causam dicunt. Contumaciam ipso vultu & gestu spirantes, pleno ore maledicta & conuicia effundentes, videmus paulo post clypeum abijcere, λειποτάκταε fieri, vixdum incoato publicorum exercitiorum cursu, e schola se proripere, atq; libertatis & licentiae theatra sibi querere. Contra cernimus modestos etiam de hoc publicorum exercitiorum genere sibi gratulari: nullo loco voluntati docentium, honori praepiorum, existimationi scholae, studijs tum suis, tum aliorum deesse: praepiorum, totiusq; cetus scholastici benevolentiam reportare: deniq; ita e foro scholastico discedere: ut cumulos se honoribus, non affectos poena aliqua statuunt: ita in studijs in posterum versari: ut non ereptum sibi, sed additum demum animum alacrem atq; promptum, ad capeffendas strenue literas, manifesta diligentia testentur.

V. Memoria exercitia, etiam si quotidiana semper sint & fuerint, publica & priuata, hunc vsq; diem in schola nostra: tam in praepis, quam in exemplis bonorum auctorum: tamen ut viua vocis longe maior vis est: altiusq; sensus et animos hominū penetrat: quam mutorum magistrorum multiplex, variaq; doctrina: sic publica illa, ut ita dicam, μνημονεύματα, quando post publicas enarrationes, memoria repetuntur integra Ciceronis vel orationes, vel dialogi, aut libri: vel poemata Virgiliana in personas distributa: atq; in theatro & concione scholastica pronunciantur: Comedia Terentiana vel Plautina integre recitantur: tum nescio quod maius pondus afferre ad memoria promptitudinē, firmitudinemq; soleant. Testes ipsi estis magna ex parte, adolescentes: qui superiore anno partim actores, partim spectatores horum ludorum puerilium, ut animaduertisse nobis videmur, neq; supini, neq; oscitantes fuistis.

Cum ergo immensa DEI clementia atq; benignitate, in numero ipso cetus scholastici, qui fuit ante dissipationem anni superioris, desiderare possimus neminem: imò quosdam modestiores animaduertamus: non verò paucos maiore flagrare priorum studiorum, exercitiorumq; deside-

desiderio, indicijs haud obscuris intelligamus: non patiemur hac in re fidem, operam, studiumq; nostrum requiri: sed cum ordine studiorum iuuentutis publico, quem DEO aspirante, non infeliciter rursus ingressi sumus, reuocabimus exercitia superiorum temporum vniuersa: huic, vestra aetati, his vestris moribus, his studijs, his progressionibus vestris, in schola hac triuiali in primis necessaria.

Ac cū ceu ἐν δελεία, ut Physici loquuntur, corporis huius scholastici, Senatus sit scholasticus: qui exercitiorum publicorum operas distribuit, tempora describit, personas designat, causas cognoscit, in mores inquirat, studiorū censurā agit, iudicia exercet: hodierno die, quod faustum & felix sit Senatui populog; Gymnasij huius augusti, comitia celebrabimus creandis magistratibus scholasticis (Græci τὰ ἀρχαιεσία appellarunt, seu τὰς ἀρχαιεσίας) per curias, tribus & centurias scholæ nostræ.

Cum enim appellationes ordinum scholasticorum, sapiens vetustas sumserit à rebus publicis magnarum gentium: ut moneret his appellationibus iuuentutem: scholas esse seminaria rerum publicarum: animosq; iuniorum à prima aetate flecteret ad amorem atq; obseruantiam legum, magistratum, ordinis, honestatis, virtutum, in omni hominum conciliatione ac consociatione: bona bonorum venia hoc quoq; comitiorum vocabulo, nobis ad hos ludos nostros, uti liceat. Ac cum tria comitiorum genera apud Romanos fuerint: erudiendi primum estis de his appellationibus: & de ordine ipso reipublicæ Romanæ: de quo voces illæ in scholis iactatæ, quotidie pueros & adolescentes admonent. Necessaria est etiam harum vocum cognitio adolescentibus ad lectionem scriptorum Ciceronis, Liuij, Dionysij Halicarnassei, & similium. Ac ne hic sine autoritate eruditorum aliquid in medium proferre videamur: utemur iterum familiaribus florentis Scholæ Melanthonis in Chronicorum enarratione vocibus: quibus ubicunq; possumus, scholam hanc vos docere non ignoratis.

Comitia apud Romanos, florens inquit schola Melanthonis, congressus fuerunt seu conuentus populi, magistratus autoritate, legitime conuocati: ut aliquid suo suffragio fieri vel iuberet, vel prohiberet. Fuerunt autem tria Romanis comitiorum genera: Curiata, Centuriata, Tributa. Curiata comitia fuerunt antiquissima: statim a Romulo instituta, post distributionem populi in curias triginta: in quibus popu-

Comitia
Romæ.
Tria genera comitiorum.
Curiata.

C lus in



lus in curias distributus viritim suffragia ferebat. Græcis φρατρίκη ἐκ
Centuriata. κλησία. Centuriata comitia a Seruio Tullio instituta fuerunt: in quibus
Tributa. populus in centurias distributus inijt suffragia. Græcis λοχίτης ἐκκλη-
σία. Tributa comitia multo post Tribuni plebis, consensu patritiorum
creati, in rem publicam introduxerunt: in quibus quid plures tribus
iuberent, aut vetarent, spectabatur. Nemo fuit ciuis Romanus: qui
non obtineret locum in tribu, in curia, & centuria: nec in numero ciui-
um habebatur: cui non esset ius ferendi in comitijs suffragij. Sed in alijs
comitijs alia fuit ciuiū inter se autoritas: & alia in ferendis suffragijs
potestas, e tribuum, curiarum ac centuriarū distinctione orta.

Tribus. **ROMVLVS** urbem distinxit in tribus: quas alij a tribus
urbis partibus, dictas volunt. Varro a tributo appellationem deducit:
quod secundum tribus conferret tributa populus. Dionysius ubiq; vertit
φύλαξ, vocabulo reipublicæ Atticæ, genera, seu gentes. Hoc etymon ap-
probare videntur ipse tribuum appellationes, Tatiensium, Ramnensium,
& Luciensium, vel Lucerum. Tatiensium e Sabinis fuit conscripta: &
a Tatio Sabinorum rege nomen accepit. Ramnensium ex Albanis col-
lecta a Romulo nomen habuit. Lucerum ex Hetruscis conscripta: quo-
rum magna multitudo cum Lucumone, & Lucero Ardeate, Romam ve-
nit. His aduena omnes sese coniunxerunt.

Curia. Tribus singulas, religionis causa, Romulus distribuit in **CVRIAS**
Curiales. decem: ita triginta extiterant curia populi. Vnde Curiales, eiusdem
Curiones. curia cines. Curiones sacrorum in singulis curijs præfecti. Curias sin-
Decuria. gulas rursus in decurias distribuit: quorum præfectos, appellauit decu-
Curia. riones. Fuerunt **CVRIÆ** certa ades seu templa in vrbe Romana:
in quibus curiales, id est, in vnam curiam scripti, certis diebus conuenie-
bant ad peragenda sacra, & ad ferias a Romulo & Numa singulis tribu-
bus ordinatas. Peractis sacris epulabantur: sumpta e publico arario
pecunia, Romuli instituto. Athenis curie & familie ad eandem cu-
riam pertinentes dicebantur φρατρία. Nos appellamus hodie Paro-
Parochie chias. Sicut vrbs Erfurdia distributa est in duodecim parochias:
quarum quælibet quingentos habet ciues: ita vrbs Roma destincta fuit
in triginta curias: in quib. tanquam in parœcijs, conueniebant ad cele-
brationem eorundem sacrorum. Hic curiarum numerus semper mansit
in vrbe: quamuis tribuum numerus augetur.

Lucius

Lucius Tarquinius eadem quidem tribuum nomina retinuit: sed Tribus easdem auxit: ac Tatienses in primos & secundos, Ramnenses in idem aucta. in primos & secundos, ita & Lucerenses distribuit.

Tandem Servius Tullius, urbe, in quatuor partes diuisa, easdem Quatuor quoque tribus appellauit: usque, non a gentibus, ut Romulus, sed a locis ut tribus. banus, nomina imposuit: quae fuerunt, palatina, Suburana, Collatina, Esquilina.

Idem Servius urbem in **SEX CLASSES, CLASSES** Classes. in centurias, census ac tributis causa distribuit: ut facilius numerari, ac censeri populus, & cuiusque facultates explorari possent. **CLASSES** dictas putant ἀπὸ τῆς καλεῖσθαι, a conuocando, quasi, κλήσεις, conuocationes: ut & Calendas. Dionysius classes interpretatur μέρος & συμμέγεσσι: partes ac portiones: Centurias, λόχοι. Attribuit autem Servius singulis suas classes pro facultatibus. Locupletissimos scripsit in classem primam: tenuiores in alteram, in tertia rursus his tenuiores: sic deinceps, Census classis relinquens ultimam pauperibus: qui nullos soluere census possent. sum Prima classis census fuit locupletissimorum. Secunda intra centum millium usque ad septuaginta quing. Tertia quinquaginta millia. Quarta viginti quing. millia. Quinta undecim millia. Sexta classis uniuersa fuit pauperum: qui dicebantur Proletarij, in plebe Romana tenuissimi: & non amplius quam mille quingentum aris in censum deferbant, hoc est, centum, ut docti volunt, denarios, seu decem coronatos. Hoc modo tribus fuerunt distinctae secundum certas regiones seu partes urbis: Curiae secundum aedes sacras: Classes secundum censum. Hae distinctio magnum lumen affert historiae Romanae: & quidem ad intelligendum modum, ordinem & causas comitorum diuersorum, omnino non est necessaria.

In Curiatis Comitibus, a Romulo institutis, conuocabantur sine discrimine uniuersi, pauperes & diuites, iuxta ordinem Curiarum. Hic quia Curiata Comitia. omnes pariter suffragia ferebant: ideo pauperum sententiae erant superiores. Hanc pauperum potestatem cum non possent ferre optimates: ut multitudine suffragiorum vincerentur: dederunt operam: ut Curiata Comitia paulatim abolerentur: ita ut postremis temporibus praeter nomen nihil fuerit reliquum.

In Comitibus Centuriatis contraria erat ratio: maior erat auctoritas Centuriatae diuitum. Centuriis enim opulentissimorum in primam scripta classe,

C ij prima

prima admittebantur ad ius suffragiorum. Haec si inter se dissentirent: vocabantur centuria secunda classis. Quod si harum suffragijs dissidium non componeretur: centuria tertia, aut quarta classis vocabantur. Sed raro potestas suffragiorum pervenit ad tertiam aut quartam classem. Hoc modo Comitibus Centuriatis optimates frangerunt potentiam populi: ea ius suffragiorum ad se pertraxerunt. Ut enim maximus cuiusque fuit census: ita primus ad suffragia fuit admissus: ac fuit autoritas ferè precipua centuriarum primae classis: quibus dissentientibus vocabatur altera: ut cui partivilla se adiungeret: illius suffragia primas ferrent.

Tributa comitia. Comitibus tributa propriè fuerunt conciliū plebis: ad quod conuocabatur non populus uniuersus, sed sola plebs, à magistratu suo plebeio, tribunis plebis: instituta anno V. C. 261 in iudicio Corionali Patritijs. Fuit ergo precipua dignitas comitiorum centuriatorum: quae fuerunt communia patritijs, equitibus & plebi.

Digressio. Haec tenus audiistis voces familiares florentis scholae Melanthonis, de ordine reipublicae Romanae: cui sapientes & docti extra Ecclesiam primas omnium tribuere non dubitant. Solent enim illi, ut saepe auditis, formas rerum publicarum tres precipuas numerare: Monarchiam, **Tres formae rerum pub.** Aristocratiam, & Democratiam: easdemque ad communem quandam naturam quasi legem astringere. Nos in Ecclesia discimus, DEVM stabilire & transferre regna. Ethnici, qui non verbo DEI, sed solius naturae luce reguntur, unius dominationem, non diuina voluntate, aut humano consilio, sed fortuita veluti naturae opera nasci affirmant: quae si incipiat ad vitia declinare: in tyrannidem eam degenerare. Tyrannidem necessario tolli per optimates. Optimatum dominatum ad paucos translato: propter iniurias praesidium, sequi populi gubernationem. Ex his conuersionibus, cognitus cuiusque reipublicae primordijs, eiusdem progressus, & inclinationes & fines praesciri posse: tanquam è vaticinijs, ipsius naturae vocibus editis, sapientes inter Ethnicos censent.

Hanc enim neclunt quasi catenam rerum in natura coniunctarum. Homines naturales mines natura appetere societatem. In ipsa societate homines naturali monarchiae luce discernere iusta atque iniusta: amare eos: qui iniurias ab alijs propulsant: imperio se subicere, volentes, illorum: qui in alios sunt benefici: & consilia sua ad communem referunt vtilitatem: pro salute horum

horum atq; incolumitate & vitam & fortunas suas obijcere. Hæc esse regnorum exordia.

Regum liberos, si animum adijciant ad iniustas cupiditates, violentiam, libidines, rapinas, cædes, incurrere in odium: fieri aduersus eos, non ab infimis, sed à generosissimis fortissimisq; quibusq; conspiratio: tolli è medio Tyrannos. Hinc nasci Aristocratiam, optimatum principatum. Promptam enim nauare operam optimatibus multitudinem, in euertenda tyrannide: usq; præmij loco tradere publicarum rerum administrationem. Optimates potius imperio, primùm communis administratione nihil antiquius habere: singulatum publicatum priuata, sedulo administrare, & accuratè tueri. Sed horum liberos eadem à patribus accepta potestate, educatos in potestate & honoribus paternis, ad luxum, belluaciones, iniurias, tum atq; libidines animum adijcere: atq; ita optimatum dominatum in oligarchiam conuertere. Oligarchiam vero sinem eundem consequi: qui fuit regni: multitudinisq; concursu Oligarchicos loco moueri, atq; è medio tolli.

His sublati multitudinem abhorrere à regno, metu tyrannidis: improbare Aristocratiam, metu oligarchiæ. Ita recidere onus gubernationis in ipsam multitudinem, & nasci democratiã. Hic dum superstites sunt: qui iugum impotentis dominationis senserunt: presenti statulatos, bene ac præclarè secum agi putare: & libertatem hanc, concionumq; παρρησιαν magnifacere. At horum filios & nepotes, minus libertatem hanc iurisq; æquabilitatem facientes, arrogare iam sibi maiorem alijs potestatem: corrumpere largitionibus multitudinem: grassari cædibus: eijcere ciues: proscriptorum bona diuidere: & ius totum in manibus habere. Ita tandè pluribus de principatu contendentibus: atq; mutuis laniens grassantibus: necessariò recidere summam rerum ad vnius alicuius, inter hos potentissimi, dominationem & monarchiam.

Hanc esse rerum publicarum, veluti in orbem quendam, conuersionem: hanc earum quasi naturalem commutationem. Quam si quis diligenter notarit: eum fortasse in temporum momentis designandis aliquantulum aberraturum: in rerum publicarum euentibus & mutationibus prædicendis: sed quo loco sint earum incrementa, declinationes, impendentès mutationes, si absq; ira & inuidia pronunciet, per raro illum falli ac decipi posse.

Hunc cursum rerum publicarum, quasi naturalem, sapientes anis
Lycurgi maduertisse perhibent, Lycurgum Spartanorum legislatorem: qui cum
res publica. simplices has rerum publicarum formas videret esse instabiles: alias
atq; alias secum trahere mutationes: ipsum uniformem constituere
gubernationem uoluisse: sed quemadmodum orbes cœlestes partim vio-
lento motu rapiuntur: partim proprio motu feruntur: atq; vim ex-
tremi mobilis inhibent: ita tamen, ut motuum in singulis sphaeris, su-
premis, medijs, infimis, apta sit & concinna harmonia: sic in republ.
Spartana, optimas diuersarū gubernationū formas, Lycurgū ita inter se
deuinxisse atq; copulasse: ne qua earū ultra metam iustam prouecta, in
extrema viciosa incurreret: sed uniuscuiusq; robore ac potentia inter

Harmonia se inuicem obnitente, reipublice forma, quasi æquis inter se ponderibus
diuersarum examinata, pariq; veluti lance librata, quā diuturna esset. Ne enim
formarum. reges se insolenter efferrent: populi metum obstitisse: cui sua etiam
in reipublica administratione pars attributa erat. Contra populum re-
ges contemnere nequaquam ausum, metu Senatus: qui è virtute &
meritis lectus, sese ad meliorem partem, iusticia atq; æquitatis obseruan-
tem, applicabat. Ita accessione Senatus, meliorem partem quasi libra-
mento quodam maiorem, grauioremq; redditam, effecisse: ut Lacedæ-
moniorum respublica, præ cæteris omnibus, quæ historijs celebrantur, li-
bertatem suam diutissimè conseruauit.

Romanorū In hunc diuersarum gubernationum inter se mutuum quasi com-
Respub. plexum, non instituto, sed casu tandem, in multiplici mutationum va-
rietate, incidisse etiam urbem Romanam uolunt.

Dominatio Consulum enim regiam fuisse dominationem, seu monarchiam: Se-
regia con- natus auctoritatem Aristocratiam: Populi potestatem democratiam.
sulum. Consules ante, quā legiones ex urbe eduxissent, omnium rerum ius
Senatus po- atq; imperium habuisse: cum Senatu, cum populo egisse. Senatum ærarij
testas. totius dominum atq; administratorem fuisse: sine auctoritate Senatus,
Populi. ne minimos quidem in rem ullam sumtus facere cuiquam licuisse. Po-
pulo verò summam in republica & pœnarum & præmiorum potestatem
reliquam fuisse: solum capitis damnandi potestatem habuisse: magi-
stratus dignissimis quibusq; contulisse: id pulcherrimum in rebus pub.
probitatis atq; virtutis præmium esse: ius de pace, de bello, de fœdere,
de controuersijs decidendis aut componendis habuisse. Hinc patere,
Consu-

Consulem, quamvis summo cum imperio esse videretur: tamen sine Populi, senatusq; consensu, gerere in republica nihil potuisse.

Hæc reipublica forma, iudicio humano, sapientissima & firmissima omnium censetur. Etenim ne regia Consulorum potestas abiret in tyrannidem: obstabat Senatus, & Populi autoritas. Ne Aristocratia Senatus delaberetur in oligarchiam: Populus Consulorum autoritate adiutus fecit. Ne democratiam Populus converteret in Anarchiam: Senatus, Consulorumq; imperium impedimento fuit. Ne tamen deessent nerui rerum gerendarum, & propagandi fines imperij: mutuus ordinum consensus prestitit: dum alij militarunt: alij imperarunt: alij consilijs suis bellicorum sumtus compararunt. Et hoc quidem nomine rem publicam Romanam anteferre non dubitant Laconica. Etsi enim Laconica diuinis Lycurgi legibus ita esset constituta: ut ad sua domi tuenda, & ad retinendam libertatem, esset per se maxime idonea: tamen ad propagandos imperij limites, ad emittendam classem, ad educendas copias terrestres, ferreus nummus, annuorumq; fructuum permutatio, Lycurgi legibus instituta, ad sumtus necessarios minime sufficiebat: sed ad Persarum regias fores accedendum: Insularum incolis pecunie imperanda: argentum ex omni Græcia corrogandum fuit. Hæc dum faciunt: ac Græcia principatum appetunt: de propria libertate in periculum ac discrimen veniunt. Sed Romani, omnium rerum necessariorum copia ad bella gerenda instructi, non tantum Italiam in suam potestatem redegerunt: sed tandem totius orbis monarchia potiti sunt.

Quamvis autem nos è verbo DEI causas discamus certissimas: quare monarchia orbis terrarum potiti sint Romani: non Lacedæmonij, non Carthaginenses: quamvis prudentes, fortes, opulenti: non Athenienses, non Thebani, non Cretenses, non aliæ gentes: quarum laudibus vehuntur reipublica: tamen cum DEVS Romanos ornaturus esset monarchia: cuius tandem heres futurus esset ipse Filius DEI: propagaturus Euangelium ministerio Apostolorum, in toto terrarum orbe tantisper: dum Ecclesiã Patri traditurus esset: & regnum incoaturus sanctorum: non dubium est etiam fortitudinem, iusticiam, sapientiam illam Romanorũ, singularia fuisse DEI dona: deumq; gubernasse euentus tantisper: dum voluit esse imperiũ, et honestam disciplinam: ubi postea recte doceri homines de Deo, & spargi doctrina de Filio DEI posset.

Ex hæc

Nerui rerũ gerendarũ.

Romana resp. præstantior Spartana. Spartanorum egestas

Romanorum opes.

Romani decreto DEI adepti monarchiam.

Distinctio-
nes ordinū
in scholis.

Ex hac reipublica forma, non humana tantū sapientia, sed diuina voluntate constituta: si non antiquissima & remotissima: at postrema, nobisq; proxima atq; notissima: alijsq; iure anteferenda: maiores nostri, homines sapientes, graues, pij, & literarum amantes, mutuatū sunt vocabula: quibus ordines pueriles in scholis, in **CLASSES, TRIBVS, CVRIAS, DECURIAS**, describuntur.

Etsi verò pueros nequaquam Gigantum armis induendos, nec τὰ πάρεργα τοῖς ἔργοις praeferenda censeamus: tamen neq; ea sumus arrogantia: ne tam elato supercilio: ut sapientissima vetustatis instituta prorsus aspernemur. Opus est ordine in scholis. Ἰν ἄταξιᾷ doceri nemo potest. Sine ordine nulla liberalis disciplina regitur iuuentus. Cum ergo appellationes **CLASSIVM, TRIBVVM, CVRIARVM, DECURIARVM** in scholis nostris, nos moneant de ordine in republ. Romana rectissime constituta: retinebimus in posterum quoq; **DEO** duce & comite, in hoc catu nostro, easdem appellationes: & quantum opera haec pueriles ferent: discen- tiumq; studijs de communi praeceptorum sententia consultū, addo etiam iucundum inter labores assiduos videbitur: ordinem, quem haec appella- tiones reip. in orbe terrarum florentissima ac potentissima flagitant, tanquam normam legum honestissimarum sequemur.

Classes scho-
le sex.

Audistis Seruium Tullium in **SEX CLASSES** populū distribuisse Romanū: earumq; gradus distinxisse censu, seu facultatum modo. Sunt & nostricætus scholastici **ORDINES SEX**: quos **CLASSES** nominamus: studiorum progressionibus certis, & auditorijs singulis distinctæ. Summus seu **PRIMVS CENSVS** est eorum: qui praeceptis Dialecticæ & Rethoricæ, exercitijs styli oratione soluta & ligata, latina & Graeca lingua, declamando, disputando ad studia Academica quotidie informantur. **SECVNDVS** preparatur ad primum vberioribus Grammaticorum praeceptionibus, vulgaribus styli exercitijs, in itijs lingua Graeca, & poëseos. **TER- TIVS** in constructione orationis Grammatica compendiosa via eruditur: principia exercitiorū styli meditatatur: in vocum distinctionibus, significationibus, inflexionibus, accuratius exercetur. **QVARTIVS** imbuitur studio flectendarum vocum, discernendarū partium, moderandorum accidentium. **QVINTVS** à matre primum, digressus

digressus laborat in discernendis literarū figuris, in colligendis syllabis, & constituendis vocibus: pingit elementa prima literarum: latinas rerum meditatatur appellationes. **SEXTVM** pauperum esse scitis, vniuersum, eodem cum quinto censu. Hi studiorum sunt gradus in singulis Classibus scholae huius: ad ordinē praeceptionum Grammaticarum accommodati: progressionibus discipulorum, quemadmodum hactenus nos multorum annorum experientia docuit, haud inutiles.

TRIBVVM appellatione, qua Romulus urbem distinxit, nos etiam uti cogit publicorum studiorum ratio. Cum enim singula Classes, alios habeant maiorum gentium scholasticos, iam ad primum locum progressos, atq; ad superiorem ordinem aspirantes: alios medioximos, medium locum tenentes: quosdam minorū gentium, qui paulò antè in illum cooptati sunt ordinem: alijs leuiora, alijs grauiora imponuntur onera. Horum cum triplices differentiae tres constituant progressionū ordines: ut in tres, singulas scholae nostrae Classes, diuidamus **TRIBVS**: ipsa iuuentutis studia nos monent. **PRIMA** cuiusq; Classis **TRIBVS** eorum est: in quorum incrementa & accessiones in literis, semestri quouis examine, publica fit inquisitio, & ad ordinem superiorem preparatio. **TERTIA** est nouitiorum: qui ex ordine inferiore nuper admodum ad superiorem traducti sunt. **MEDIA TRIBVS** est inter has interiecta, superior postremis, inferior primis. Hic aliunde aduenientes, tribulibus suis, in singulis Classibus, pro studiorum ratione ascribuntur.

Classiū tri-
bus.

Tribuum Romuli partes fuerunt **CVRIÆ**, sacris peragendis destinatae. Curiarum verò distributio facta est in **DECVRIAS**. Auditis hic minimas etiam Classium ac Tribuum scholae nostrae partes: quas vniuersas in decurias esse distributas: suosq; habere decuriones: quibus morum publicorum & studiorum commendata est inspectio: è ciuibus scholae nostrae ignorat nemo.

Tribuum
& clas. de-
curia.

A tribubus, Curijs, Centurijs, Romanos appellasse audistis Comititia tributa, curiata, centuriata: quae quidem singula, aut creandorum magistratuum, aut ferendarum legum, vel iudicij causa celebrabantur: & centuriata quidem creandis magistratibus maioribus: tributa magistratibus minoribus: curiata postremo legibus ferendis tantisper: dum in usu fuerunt.

D

Nos

Nos ut ludentes etiam erudiamus iuventutem, atq; ad lectionem
 historiae Romanae tum preparemus, tum inuitemus: in legendo magi-
 stratu scholastico, haecoria comitiorum Romanorū genera, publica quasi
 scholae memoriae commendabimus. Ac primum quidem Classibus uni-
 uersitatis scholastici in **CENTVRIAS** distributis: singulae
 centuria, binos e candidatorū numero legitimo atq; ordinario, quorum
 nomina in albo proposita cernunt, suffragijs suis in ordinem **SENATVS**
 scholastici legant. Haec fiant in memoriam comitiorum centu-
 riarum. Sedente in Comitio certo senatorum numero, **TRIBVS**
 singularum classium e numero senatorū legant **PRÆTOREM**,
 iudiciorum, suffragiorum, exercitiorumq; scholae moderatorem. Haec ge-
 rantur ad representanda comitia tributa. Postremo per singularum
 tribuum **DECVRIAS** renuncientur ex ordine senatorio duo-
 morum & studiorum scholae **CENSORES**. Haec sit memoria
 Comitiorum Curiatorum.

COMITIA CENTVRIATA.

Agite ergo, quod felix, faustum, fortunatumq; esse velit reipublicae
 scholasticae Christus Seruator: scholarum nostrarum perpetuus atq; om-
 nipotens rector & protector:

- I. Fiant numerum centuriarum scholae huius augustae: quibus de
 comitijs administrandis data sunt a Praeceptoribus mandata

RECENSIO CENTVRIARVM.

- II. Sorte centuria legatur prerogatiua: nomina centuriarū in cistellam
 conijciantur: cuius centuria sors prima exierit: ea prerogatiua esto.

SORTITIO.

- III. Priusquam in suffragium mittatur populus scholasticus: concione
 habita moneantur singuli: ut ex ijs Candidatis, quorum nomina in albo
 proposita cernunt, designent, quos velint, Senatores.

CONCIO AD POPVLVM.

- III. Liberum sit & populo facere, quos velit, candidatos: si modo y sint:
 quorum ratio haberi per leges, & literas possit.
- V. Centuria prerogatiua prima suffragium ferat.

Roga-

Rogatores, qui rogant sententias, nominatim singulos in singulis VI.
centurijs appellent: quem velint Senatorem creari.

Custodes describant suffragia in tabellis, hunc in usum paratis. Hoc VII.
est, tot puncta in tabellis notent: quot similia audient, inito suffragiorum numero, pronunciarum suffragia.

Candidatus, cuius plura in tabellis notabuntur suffragia, ab ea cen- VIII.
suria senator designatus iudicetur.

Rogatores suffragia palam proferant. IX.

RENUNCIATIO SUFFRAGIORUM.

Cernitis ob oculos Senatum scholasticum, vestris suffragijs lectum: eum nunc in Comitium centuriarum rogatores deducant: suos in subsellis comitialibus asidere singulos loco iubeant.

LOCVS Romae centuriatis comitijs destinatus, fuit campus Campus
Martius: qui Tarquinij eiectionis, à quibus occupatus fuerat, populo re- Martius.
stitutus est, adiecta consecratione. Eo in loco, inaugurato, quod est, ab
auguribus ad eam rem dicato, comitia habebantur centuriata: quae in-
tra pomerium habere non licebat propter exercitum. Singula enim cen-
suria sub signis suis armata egrediebantur. Habebantur eodem in loco
etiam comitia tributa: quae eadem habita leguntur in pratis Flaminij: Circus Fla-
qui postea circus fuit Flaminius, item in Capitolio, in Comitio: qui locus minus.
fuit prope Curiam: in quo populus stabat: cum ex rostris conciones ha- Capitolium
berentur: unde etiam à Populo eum in locum concione seu conuentu, no- Comitium.
men habuit. Graecis ἐκκλησιαστήριον. Eodem in loco minora quaedam iu-
dicia exercebantur: & Pratorius dicebat.

Non opus est nobis Campo Martio ad exercitum imperandum in his
pacatis Musarum sedibus: nec pratis Flaminij ad tractandas literas:
non tamē deesse nobis locum videtis dignum Comitij & concionibus Populi Comitium
scholastici, iudicijs, & sententijs ordinis senatorij: cuius quidem ordinis, scholae, mo-
ut hactenus fuit, ita deinceps munus erit: audire reos in foro scholasti- nachorum
co: irrogare poenas pro modo delicti: legere declamatores: victoribus δικασί-
decernere palmam: cognoscere certamina recitationum è libris & ora- σιόν.
tionibus Ciceronis, ex opere Virgiliano, è concionibus Liuianis, è com-
mentarijs Caesaris, è Terentio: pronunciarum de singulorum, vel industria,
vel ne-

vel negligentia: regere publicas disputationes, praesidere, opponere, respondere, intra metas examinis syllogistici disputantes continere: ordinis sui sanctam auctoritatem conseruare: idoneos decedentibus surrogare: suam perpetuò in regenda disciplina scholastica, operam, fidem, industriam, promptitudinem praceptoribus omnibus, summis, medijs, infimis probare.

COMITIA TRIBUTA.

Accedamus nunc, DEO ducente, ad comitia tributa: quibus populus in tribus diuisus, suffragia ferebat. Fuerunt enim **TRIBVS** partes populi Romani, primum tres $\chi\epsilon\upsilon\iota\kappa\alpha\iota$, ut diximus, iuxta gentes distributa à Romulo: postea quatuor $\tau\omicron\tau\iota\kappa\alpha\iota$, à quatuor urbis partibus appellata à Seruio Tullio: qui etiam agris in partes diuisis, alias tribus **tribus vr-** banae, rustice constituit urbanas, alias rusticas: populūq; agreste in pagos distribuit. **ce.** **PAGI** nominati sunt colles certi: quos Seruius Tullius muniuit: ut praeberent receptus agresti multitudini, aduersus incursiones, & latrocinia finitimorū. Appellatio pagorū est à $\pi\acute{\iota}\chi\upsilon\upsilon\mu\iota$, figo, pango: quòd limitibus circumscriptis, & aggeribus excitatis, palisq; infixis, tumultuaria opera, illa initio loca cingeret, ac muniret. Urbanarum tribuū principio fuit maior dignitas: postea mutata ratione, Rusticarū tribuum dignitas creuit supra Urbanas. Aucto enim ciuium Romanorum numero: **TRIBVS** non amplius fuit nomē certa partis in urbe: sed distributionis ciuium Romanorum per totam Italiā: tandemq; **XXXV.** numero extiterunt: è quibus multi nomina acceperunt à familijs, multitudine, dignitate, potentia, opibus auctis: & per omnes urbis partes sparsis. Ita Rusticae tribus, possidentes agros, etiam si in urbe habitarent, auctae fuerunt honoribus, & dignitatibus: ac fuerunt ingenuorum, & laudatissime: Urbanae contemptae, & tantum Libertinis relictae. Fuit **Agricultu-** enim agricultura apud Romanos in honore ac precio, etiam antiquo **ra, militia:** muli instituto: qui militiam & agriculturam tantum liberis & ciuibus: seruis & manuarias operas, illiberalibus & seruis concessit. Vnde multi in Romana historia leguntur ab agricultura vocati ad precipua munera reipublicae: usq; perfuncti rediisse ad agriculturam. Reditus enim precipui fuerunt ex agris: eū omnia bellis parata inferrentur in ararium: nec quicquā eorum in priuatum usum conuertere liceret. Ex hoc more **Ordinis e-** Romano profecta est consuetudo: quae hodie adhuc in ordine equestri **quest. milit.** seruetur: quae militiam coniungit & agriculturam, Sapiens enim vetustas ho-

stas homines ingenuos & liberos nunquã voluit esse ociosos: sed perpetuis laboribus exerceri: in pace agricultura, in bello militia. Auctus autem tum numerus fuit tribuum: quando potestas describendarum tribuum collata fuit Censoribus: qui suo arbitratu auxerunt tribus nouis, & veteres abrogarunt. Hæc necessaria est de tribubus in scholis commonefactio: ut iuniores intelligant: quomodo usurpatum fuerit hoc vocabulum: & quã longè à primis Romulæ & Seruij institutis, ætate Ciceronis translatum fuerit.

Sed agamus de comitijs tributis.

Præusquam in suffragium populus mittatur scholasticus, comitijs tributis: concio à magistratu habeatur scholastico. I.

CONCIO AD POPVLVM.

Populus scholasticus in tribus suas discedat. II.

Sortes fiant hunc in modum: omnium tribuum nomina in cistellam coniiciantur: sed duodecim tantum ex vniuerso numero educantur: quarum suffragijs stetur. III.

Prærogatiua tribus sit ea: cui sorte obtigerit: ut prima exeat è cistella. IIII.

Viritim omnes, qui sunt in eadem tribu, rogentur: ut numerus iniri possit eorum: qui plures fuisse in eadem sententia comperientur. V.

Postquam tota tribus suffragium dixit: sententia numerentur: & illa demum tribus sententia renunciatur: in quam plures consensisse animaduertentur. VI.

Qui è senatorum ordine duodecim suffragia tulerit à tribu prærogatiua: iuxta numerum Senatorum Populi scholastici: Prætor esto. VII.

Si numerum suffragiorum legitimum prærogatiua tribus non suppleuerit sortitione iterata, reliquæ tribus vocentur tantisper: dum legitimo suffragiorum numero, certus renunciatur ab aliqua tribu Prætor. VIII.

Si nulla tribus legitimum attigerit numerum: tum qui plura tulerit suffragia: Prætor decernatur. IX.

Si paria fuerint suffragia: hac in re iudicio Senat. scholastici stetur. X.

RENUNCIATIO PRÆTORIS.

Habet Schola Prætorẽ comitijs tributis viritim per tribus lectum. Huius officium, quod antea fuit, idem in posterum erit: præire iure, seu

in iudicando in foro scholastico praesse: regere, corrigere, confirmare, infringere, reuocare, defendere collegarum sententias: monere singulos, ut latina, ut perspicua, ut graui oratione auctoritatem ordinis sui commendent: ut quisque suo loco reipublicae huic scholasticae ornamento esse contendat: obseruare tempora publicis exercitijs disputationum, declamationum, recitationum destinata: denique operam dare: ut omnia ordine, recte, suo loco ac tempore gerantur à singulis: quibus reipublicae huius scholasticae prouincia aliqua est commissa.

COMITIA CVRIATA.

Curia. Restant Comitua Curiata: in quibus populus curiatim suffragium ferebat: hoc est, in quibus populi per Curias diuisi rogabatur sententia: ut, quod plures curiae statuissent, id iussum esse populi diceretur. A Romulo usque ad Seruium Tullium omnia, quae suffragijs populi à regibus committebantur, curiatis comitijs peragebantur. Etsi uero ea, post Centuriata & tributa Comitua recepta, minus fuerint frequentata: tamen legibus ferendis, unde Curiatae leges nuncupatae, & sacerdotibus creandis, in singulis Curijs Curionibus singulis, in posterum quoque habita leguntur. His comitijs ius habebant suffragij non omnes: qui ciues Romani erant: sed hi tantum, qui in curias descripti erant: & in urbe habitabant. Itaque posteaquam Italiae municipia ciuitate donata fuerunt: minus haec comitua frequentabantur.

Decuria. Audiuitis autem CVRIAS fuisse distributas in decurias: singulisque suos praefuisse DECVRIONES. Sequemur ergo & nos in nostris Comitijs Curiatis, legendis Censoribus, DECVRIARVM scholae nostrae suffragia.

I. Concionem habeat magistratus scholasticus, ad Populum scholasticum, de comitijs Curiatis gerendis.

CONCIO AD POPVLVM SCHOLASTICVM,

II. In suas singuli decurias discedant.

III. Sortitiones fiant de ordine suffragiorum: sed tantum duodecim decuriae educantur.

IIII. Duo, quos praerogatiua tribus legerit sex suffragijs, è numero senatorum, hi censores renunciuntur.

Si plu-

Si plures decuria vocanda fuerint: eadem que tributis comitijs
acta sunt, gerantur: & Comitiorum Scholasticorum finis esto.

RENUNCIATIO CENSORVM.

Apud Ciceronem de legibus, inter alia hæc leguntur: **CEN-
SORES** mores Populi regunt, bini sunt. **PEDIANVS**
in diuinationem Ciceronis ita scribit: Regendis moribus ciuitatis Cen-
sores quinto quoq; anno creati solebant. Hi prorsus ciues sic notabant:
ut qui senator esset: eijceretur senatu: qui eques Romanus: equum
publicum perderet: qui plebeius in Ceritum tabulas referretur: &
ararius fieret: ac per hoc non esset in albo Centuriæ suæ: sed ad hoc esset
ciuis tantum: ut pro capite suo, tributum nomine, ara penderet. **ZO-
NARAS** his verbis utitur: Munus censorum erat, ciuis cuiusq; fa-
cultates censere: mores notare, atq; animaduertere: laude dignos ciues
in tribus, in equestrem ordinem, in senatum, pro cuiusq; virtute ascri-
bere: qui minus honestè viuerent: omni ordine ac tribu mouere. Ius
iurandum autem dabant: se neq; gratia, neq; odio, quidquam acturos:
sed ex recta iudicij norma, quæ reipublica utilia essent, re quesita &
deliberata sententiam laturos. Hæc non tantum iuratos promississe:
sed religiosissimè ac seuerissimè censores executos: tota series Romana
historie testatur.

Censorum
munus Ro-
mæ.

Quod seiusmodi fidem hodie discentes literas in scholis, in obser-
uanda, & custodienda disciplina, præstarent præceptoribus: quibus non
minus obligati sunt propter communicationem doctrinæ: quam ciues
& magistratus reipublicæ cuiuscunq; pacis causa: rariore audiremus ve-
rissimas, omnibus in locis, de dissolutione discipline scholasticæ, atq; ef-
frænatis iuuentutis moribus, optimorum querelas.

Inter ea dum res scholasticæ, violento motu extrema huius ætatis
mundi, contra quam volumus, feruntur: conamur fiducia auxiliij diui-
ni, pro virili nostra, suo quisq; loco, quibus possumus modis, ruentem in
dies in deterius disciplinam fulcire scholasticam. Iacirco mandamus
CENSORIBVS reipublicæ nostræ literariæ: ὡς οὐτε πρός
χάριπ, εὐτε πρός ἐχθροῦ τι πῶσιπ: ἀλλ' ἐξ ὀρθῶς γνώμης τὰ σὺν φέροντα τῶ
νεῦνῶ καὶ σκοπῶσι καὶ πρᾶτῶσιπ: que verba sunt formula iuramenti
CENSORVM. Memineritis uestri esse officij, conseruare in pub.
schola

schola congressibus tranquillitatem, modestiam, verecundiam, reuerentiam, obseruantiam, tum erga preceptores: tum alios quoscunq, vel inspicientes catur & studia schola: vel honoris causa musarum hac domicilia adeuntes. Turbatores, vagatores, ociosos, Stentores clamosos, maledicos Thersitas, in forum scholasticum producat: flagitiose negligentes, suamq, decuriam deformantes, in decurias posteriores reiciatis: desertores, profugos, ingratos erga hospites & preceptores, quales nuper admodum hic vidistis, publica censura notetis: ac scholae delicta illorum, perfidiam, atq, ingratitude oratione graui & censoria monstretis. Bonis moribus praeitos, atq, in literis strenue pergentes, laudibus iustis, suo tempore atq, loco, ornentis & cumuletis. Quod vero haecenus factitatum est à vobis: idem deinceps summa diligentia exequamini: ut quam diligentissime in voces, phrasas, figuras, sententiarum structuram, membrorum coherentiam, elocutionem omnem, ipsamq, prononciationem singulorum: qui publice, vel declamantes, vel disputantes, vel causas agentes, aut exercitia quacunq, memoria obeuntes, verba faciunt. Hic ubi in alijs barbara, incomposita, obscura, impropria, loco suo mota, defectiones, abiecta, inflata, dissoluta, inordinata notaueritis: alijs superuacanea, nimis tracta, ex oratione soluta & poetica confusa, figurarum usu nimio obscurata, tumore immodico tonantia, sine suauitate ac varietate decurrentia monstraueritis: non dubitamus bonos, ac literarum cupidos, maiore in posterum industriam, diligentiam atq, alacritatem in publicum allaturos: easq, in his literarum rudimentis progressionem facturos: quas parentibus, preceptoribus, doctis quibusq, viris, reipublica, vobis deniq, ipsis olim probare, atq, ex ijs fructus longè uberrimos capere ipsi possitis.

Restat ut specimen studiorum, fidei & diligentiae vestrae in comitijs his scholasticis edatis: nec coronam confessus huius scholae atq, preceptorum, vacuam atq, inanem dimittatis. Primū ergo disputationis, superioribus diebus propositae, de utilitate doctrinae predicabiliū & predicamentorum ex Organo dialectico Melanthonio, moderatorum seu praesidem, sententijs vestris legatis: deinde eum, qui respondentis sustineat, partes, creetis: tum certamina declamationum duobus committatis, tandem personas librorum Ciceronis de Oratore, libri secundi Aeneidos Virgiliana, Comædiarum Terentij, idoneis distribuatis.

F I N I S.

3

Apologia
ENARRATIO
NIS GRAMMATICAE, EPI-
STOLAE PAULI AD ROMANOS,
in Schola Gorlicensi.

*In qua commemoratur historia commentationum PHI-
LIPPI MELANCHTHONIS, eiusdem episto-
lae ad Romanos, per annos quadraginta.*

in
ACADEMIA WITEBERGENSI.

Recitata GORLICII

à

Laurentio Ludouico Leobergensis.

ANNO

M. D. LXXXVI.

PSAL. 32.

In tribulatione conserua me; vt serua-
tus laudem te,

Apologia

STANISLAUS

STANISLAUS

STANISLAUS

Apologia

MDCLXXVI

STANISLAUS

STANISLAUS



ERVDITIONE

ET VIRTUTE ORNATISSI-

MIS VIRIS, DOMINO FRIDERICO

PAPAE, Dn. GREGORIO IVDICI, &

MARTINO THEODORO, Gorlicen-

sibus, collegis & amicis carissimis,

Salutem.



OLLEGAE optatissimi, & amici suauissimi: meminisse vos non dubito: cum in communi pestilitatis periculo, conuictus nobis esset communis: de consolationibus tali tempore necessarijs saepe nos contulisse. Ibi cum vos vestras e studijs quotidianis exoneretis rationes, minime infirmas & negligendas: meas tum ego protuli e lectione atq; collatione commentariorum Melanthonis in epistolam ad Romanos: quorum doctrina, e fontibus Apostolicis hausta, animum meum, subita malorum tantorum impressione abiectum, ac penè fractum, paulatim confirmari, atq; in dies recreari, & diuina quadam *ἐνεργεία* quasi ab inferis in vitam & lucem reuocari sentiebam.

Docet enim in aditu causae Apostolus: iudicium DEI esse: *πᾶσι ἃ ἰθεὺς*, verum; DEVM intueri fontem & principales causas actionum, mentem, voluntatem, & cor: ac quemq; suo loco esse *ἀνεπιλόγητος* coram DEO: iustoq; DEI iudicio in his & alijs poenis haerere: quae omnibus aetatibus per genus humanum vagantur. Disputatio de iusticia fidei, qui status est causae, monstrat misericordiam DEI, offerentis omnibus gratis, absq; meritis proprijs, remissionem peccatorum, fide accipiendam, propter Filium mediatorem: victimam pro peccatis nostris in cruce factum, mortuum & resuscitatum.

A 2

In ana-

In analysi vocum, peccati, legis, gratiæ, intimos rimatur sinus atq; recessus cordis humani Paulus. In vocabulo peccati deducit nos ad fontem peccatorum: ostendit defectum, seu amissionem lucis diuinæ in mente, auersionem voluntatis à D E O, contumaciam cordis aduersus D E V M, secutam lapsum Adæ: propter quæ mala homines rei sunt, & filij iræ.

In legis analysi tantum abest: vt affirmet, lege deleri peccatum & mortem: vt etiam aperte scribat: peccatum augeri lege: quando conscientia audita legis sententia, D E V M fugit: atq; in doloribus D E O magis irascitur.

In analysi gratiæ, oppressis mole peccatorum intolerabili mentibus, fulminibusq; legis territis, monstrat gratiam: atq; illustre discrimen constituit inter peccatū & gratiam. Gratia exuberat supra peccatum. Gratia longè potentior est peccato: & est victrix peccati: superat, & delet peccatum. Si parem vim haberent peccatum & gratia: non tolleretur peccatum & mors: atq; ita nulla liberatio esset ac saluatio. Sed Filius D E I antefendus est omnibus totius mundi peccatis: Filius D E I potentior est regno Diaboli. Hæc consolatio est amplissima: efficax in mentibus hominum: & eripit conscientias ex doloribus inferorum.

Sed cum Ecclesia in hac vita sit subiecta cruci: grauer offenditur ac concutitur fides, potentia atq; dominatione illorum: qui sibi arrogant titulum Ecclesiæ, ac rectè sentientes damnant. Hic animos rursus erigit Apostolus doctrina de electione: qua docet, Ecclesiam non esse politicū imperium: nec propagari generatione carnali, aut ordinaria successione: sed esse cætum per misericordiã D E I, propter Filium electū, & vocatū ministerio Euangelij: per quod Filius D E I, dato Spiritu Sancto regenerat, & viuificat corda credentium: vt sint hæreditas ipsius, celebratura ipsum in omnē æternitatem.

Hæc summa est disputationum cum D E O & hominibus: ac hæ sunt præcipuæ atq; grauissimæ disputationes in toto
gene-

genere humano; monstrantes qualis nã sit vniuersa hominum natura in hac vita; & quo modo consequamur gratiam DEI, ac vitam æternam; nec in vlllo scriptorum genere consolatio efficacior inueniri potest. Quapropter & nunc fateor; & sæpius me profitentem audiuiſtis; lectionẽ huius epistolæ Pauli, in summa animi consternatione, consolationes mihi attulisse firmissimas, atq; efficacissimas. Nec dubium est, omnes pios lectores eadem experiri; seruata tamẽ illa LVTHERI regula: qua grauissimẽ monet lectorem huius epistolæ; vt in tota hac disputatione singulari religione Pauli methodum sequatur; ac primũ discat doctrinam de peccato; deinde doctrinam Euangelij de gratia & fide; postea doctrinam de cruce & calamitatibus Ecclesiæ; tum demum mole miseriarum atq; ærumnarũ in hac vita oppresso Lectori, vtilissimam atq; dulcissimam fieri affirmat LVTHERVS, doctrinam de electione: quando audit illos esse in electorum numero; qui in Christum credunt; atq; vera & firma fide remissionem peccatorum accipiunt; & ista fiducia ex hac vita discedunt.

Hisce de causis nõ peccare arbitror eos; qui scholis grammaticis inuitant iuuentutem ad lectionem epistolæ Pauli ad Romanos. Qui enim à prima ætate assueſiunt ad sacrarum literarum lectionem; eos videmus, ætate adulta, Prophetas & Apostolos, quasi alia lingua locutos, vt ille de poëtis ait orator, prorsus non attingere. Nam vt hĩc quoq; familiaribus vtamur Melanthonis verbis; multũ inquit MELANTHON, refert, legere aliquid à prima ætate. Quæ in senectã primũ incipimus; ea videntur nobis prodigiosa: vt de Linacro ferunt. Erat LINACER homo valde doctus in latina & græca lingua; cũ in Anglia motæ essent disputationes de religione; volebat hic etiam inspicere nouum testamentum: ac cum venisset ad quintum caput Matthæi, legissetq; hæc verba: Qui irascitur fratri suo; reus est iudicio; dixit ad amicos Linacer: profectò aut ista scripta nihil sunt; aut nemo nostrũ est Chri-

stianus. Quia concionem istam pœnitentiæ non intellexit Linacer: putauit esse Stoicum quiddam. Sed Christus proponit illa: vt doctrinã de pœnitentia: non quòd homines tales fiant in hac vita: non quòd nulla sit errans hominum ira in hac vita: sed vult agnosci peccata: & fide incoari nouam obædientiam. Legite ergo à teneris sacras literas. Omnis *ὁ ἀμαθία* est infelix. Hæc Melanthon.

Notæ sunt & illæ B E M B I, propter puritatem sermonis latini, viri hac ætate celeberrimi, voces, ad S A D O L E T V M, non minus eandem ob causam clarum, & inprimis suauem virum, pontifici Romano à cardine. Hic cum nostrarum Ecclesiarum doctores, atq; præ cæteris M E L A N T H O N E M, plurimum niti autoritate epistolæ ad Romanos scriptæ videret: vt ad Romanos scripta, pro Romanis in hunc vsq; facere diem, ostenderet: enarrationem eiusdem suscepit epistolæ: ac in eandem commentarios scripsit: in quibus cum laborare S A D O L E T V M videret B E M B V S: dixisse hic fertur ad Sadoletum: Non decent grauem virum tales ineptiæ. Has voces nonnulli etiam in eandem accipiunt sententiam: quasi Bembus improbarit sacrarum literarum commentationem. Ego omen illud Bembi aptissime congruere commentarijs Sadoleti, in hanc Pauli epistolam scriptis puto: qui quales sint: cum hodie in manibus doctorum versentur: nemini difficile est iudicare.

Illud tamen extra controuersiam est: qui à prima ætate sacrarum literarum lectionem fastidiunt: eosdem fastidire eandem studia in senectâ, non casu, sed pœna diuina. Punit enim D E V S tandem & contemptu & cæcitate eos: qui florem iuuentutis Diabolo, feces verò senectutis D E O consecrant: vt verissime vetus ille dixit Ecclesiæ doctor. Lazarus Bonamicus in Italia valuit iudicio: interrogatus quid sibi videretur de Psalterio: profectò, mihi, inquit, valde placet: videtur esse bonum & pulcrũ poëma; multa dicit de virtutibus, multa
de pa-

de patientia, multa de modestia, de prouidentia, de poenitentia
sceleratorum quæ mihi plurimum probantur. Sed tamen ista
non sunt melius in psalmis tractata, quam apud Pindarum.
Auditis iterum narrationem Melanthoniam: quæ cum publicè
recitaret Melanthon, anno 1556. 21 Maij: conuersus ad Ba-
ronem quæsiuit: quid interesset inter Pindarum, & psalterium:
atq; his verbis quæstionem explicauit: Pindarus est ethnicus
valde bonus: & eius conciones sunt vniuersales: Sis mode-
stus, sis iustus, non facias iniuste fiducia potentia. Quod nisi
feceris: torqueberis apud inferos: sicut Ixion in rota cla-
mat: Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos. Ita to-
tus ferè Pindarus in testimonijs de prouidentia consumitur.
Sed Pindarica primùm sunt idolatrica; deinde tantùm sunt le-
galia. Dauid verò in Psalmis proponit doctrinam de vero
D E O, & tradit non tantùm legem, sed etiam promissionem
Euangelij. Hæc iterum de ijs: qui à prima ætate non dedu-
cuntur ad fontes sacrarum literarum.

Veniam ergo nobis dabunt optimi quiq; , admiscentibus
doctrinæ catecheticae, breuem & grammaticam enarratio-
nem epistolæ ad Romanos in hac schola: in qua tot sunt ^{μελ}
^{λέφθοι, ἑφθοι, καὶ ἐξέφθοι} adolescentes: non minus his, quàm
alijs studijs ad Academias præparandi. Quod si nihil aliud,
quàm textuum institueremns collationem, in græca, latina, &
vernacula lingua: tamen satis ex hoc labore vtilitatis ad dis-
centes redire videretur. L V T H E R I enim versionem scæ-
pius vice esse commentarij: negare, nisi sibi non consentiens,
potest nemo. Imò verò vel nuda textus transcriptio nequa-
quam caret fructu suo: vt ipsius MELANTHONIS ex-
emplum docet: qui an. 1556. 25. Ian. in lectione publica
hac vsus est cohortatione: Primùm corpus doctrinæ Pauli
vobis debet in conspectu esse: postea insigniores sententiæ,
membra peculiaria, eximia itē vocabula: quod est facilimum
homini non haberi: cum non sint proluxa eius scripta. Ego
tum

tum cū possem elegantius pingere: & delectarer isto labore: cum etiam haberem plus temporis, BIS mea manu descripsi epistolam ad Romanos: vnum exemplum dedi optimo viro, Doctori HESSO, Vratislaviensi; qui id à me petiuit: alterum exemplum postea habuit D. CRVCI GER. In talibus rebus debetis exercere scriptionē literarum. Elegancia in pingendo est etiam decus. Deinde distinctio, & perspicuitas literarum, adiuuat intelligentiam. Habent hīc discētes & regulam, & exemplum studiorum. Regula monet adolescentes de studio transcribendi, ac distinguendi sacros textus: vt & ordinem & rationē elocutionis rectius intelligant. Exemplum ostendit, Melanthonem tantam doctrinæ Paulinæ lucem consecutum, tum assidua lectione, tum magno multipliciq; labore transcribendi ac pingendi sententias, verba, & literas ipsius Pauli.

Quid ergo obstat? quo minus & nos, & adultiores scholæ nostræ alumni, tum regula, tum exemplo hoc Melanthonis vtamur? Quod si nedum quidem nobis conceditur: confugimus tandē ad autoritatē Cl. viri, D. Petri VINCENTII Vratislaviensis: qui scholæ loci huius, *ὀμνιστῆς πρῶτος*, ac primus fuit mystagogus: hīc non tantum in publicas scholæ ascripsit operas lectionem epistolarum Pauli: verum etiam enarrationem epistolæ ad Romanos, qua erat eruditione & facundia magna cum discipulorum, tum aliorum auditorum expectatione, feliciter exorsus est. Huius viri leges cū acceperit scholæ nostræ: legum harum præscriptum nos quoq; DEO iuuante atq; aspirante, pro virili nostra exequemur. Vestrū erit, collegæ suauissimi, monimenta Melanthonis, quorū alij alia, neq; pauca, neq; scholis fastidienda, in manibus habent, mecū strenuè vrgerē: ac scholæ huic, vigilantia, industria, & labore vestro, sanctè atq; religiosè asseruare. Valete. Ferijs pentecostes.
An. 1586. GORLICII LVSATIO RVM.

Laurentius Ludouicus.

A P O L O G I A
E N A R R A T I O N I S
G R A M M A T I C A E , E P I S T O L A E
P A V L I A D R O M A N O S , I N S C H O L A
G O R L I C E N S I . A . C . 1 5 8 6 .

N Equaquam existimemus, adolescentes, irritas esse preces ac gemitus piorum in Ecclesia DEI: sed verè exaudie DEVS iuniores & adultos, pueros & senes: ac mitigat calamitates publicas & priuatas omnium inuocantium ipsum fiducia Filij: qui propter salutem nostram descendit de caelis: & factus est in cruce victima pro peccatis nostris. Quare in omnibus pijs congressibus, ecclesiasticis & scholasticis, vota coniungamus: ac DEO pro beneficijs presentibus & aeternis gratias agamus: atq; ut hac bona nobis per & propter filium conseruet, ardenti pectore petamus.

Gratias agimus tibi toto pectore, caelestis Pater: quòd propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, regem & pontificem nostrum, audiisti preces nostras: ac poenas iustissimas, peccatis nostris debitas, clementer mitigasti: nos in grauissimo contagiosa luis periculo, sanctorum angelorum praesidio custodiisti: tandemq; scholam hanc, post tristissimam dissipationem in locum suum restituiisti. Precamur, Sancte Pater, Spiritu Sancto tuo corda nostra doceas, regas atq; flectas: ut beneficiũ hoc tuum immensum, perpetuò predicemus: ut vero animorum ardore, atq; pietate vera, ad literarum studia reuertamur: ut verbum tuum, in publicis Ecclesiae ac scholae congressibus, reuerenter audiamus, rectè discamus, ac sedulò propagare, te adiuuante, studeamus. Has preces, adolescentes, statuamus esse ratas & firmas iuxta iuramentum Filij DEI: Amen, amen dico vobis: quidquid petieritis Patrem in nomine meo: dabit vobis.

Ut verò re ipsa gratitudinis nostra erga DEVM aliquam edere significationem: ac Christo Seruatori nostro, studia nostra, praeter ceteris, consecrare velle videamur: à sacris initium operarum nostrarum faciemus:

B

ciemus:

eiemus: & eas quidem ita moderabimur: ne aut officij nostri, aut etatis vestrae obliti videamur.

Tribuimus haecenus horam hanc exercitijs catecheticis: in quibus per annos viginti duos, inde usq; à prima scholae hunc in locum introductione, aliàs capita doctrinae puerilis, à Lutero & Trocedorsio tradita, Grammaticè percurrimus: aliàs examen Philippi proposuimus: aliàs Confessionem Augustanam cum aduersariorū Confutatione contulimus. Hanc cum haecenus denuo, aphoristica methodo, intra paucos menses absoluerimus: hisce exercitationibus doctrinae sacrae in posterū, per aliquot menses, DEO volente, interponemus epistolam Pauli ad Romanos.

Videor mihi iam audire quorundam voces: quidnam moliturus sim? quarum literarum mihi professionem sumiturus? ad quae studia, dolentes rudes, ac penè pueros, sim traducturus?

Non ignoro, rara esse haec in scholis triuialibus studia: & summam in rerum, tum in verborum, simplicium & coniunctorum, cognitione obijci difficultatem, non tantum iunioribus, verum etiā adultis: & quidem ipsis, non modo vulgaribus theologis: sed viris doctissimis, tam in Graeca, quàm in latina Ecclesia: quorum alij à scopo sententiae Paulinae prorsus aberrarunt: ut Origenes vetustissimus, Thomas, Asotus, & magna recentiorum turba: alij etiamsi insistant vestigijs doctrinae Propheticae & Apostolicae: ut Ambrosius, Basilus, Augustinus, Bernardus: tamen in loquendo fuerunt negligentiores: ac interdum enarrationibus suis ἀκυρολογίας admiscuerunt.

Horum virorum maximorum exempla ostendunt: quàm non modo difficile, sed etiā periculosum sit: versari in huius epistolae tractatione.

Quid ergo nos ceptabimus? quid obsecro agemus inter adolescentes? qui vix primis labris dicendi artium elementa attigerunt. Meminimus probè, ipsum Melanthonem grauisima voce inuehentem in praefectores illos: qui epistolam ad Romanos proponerent pueris: quos in Grammaticis erudire debebant. Ostentare tales, inquit Melanthon, praefectores cupiunt eruditionem suam: & fugiunt exercitia puerilia declinationum, coniugationum, comparationum. Hi malè consulunt discipulorum studijs. Quid ergo nos respondebimus Melanthoni?

Equidem video, quàm graue hoc sit & arduum: est tamen quod respondeam: & quod me vobis probaturum non prorsus diffidam.

Nota

Nata est iactata saepius in schola hac vox LUTHERI: Epistolam ad Romanos esse clauē scripturae: & illa MELANTHONIS: Epistolam Pauli ad Romanos confessionem esse nostrarū Ecclesiarum. Ea de causa & Lutherus, & Melanthon, inter prima certaminum initia, mature in huius epistola enarratione occupati fuerunt.

Lutherus scribit, se enarratione epistola ad Romanos, & ad Galatas, in scholis factum audaciorem: alacriusq; postea refutasse aduersariorum somnia, ignorantium doctrinam Euangelij, de iusticia fidei, seu de gratuita remissione peccatorū: quam credentes fide accipiunt, propter Filium DEI, crucifixum pro nobis & resuscitatum. Lutherus, inquam, affirmat, se enarratione epistolarū Pauli ad Romanos & Galatas didicisse pugnare contra aduersarios. Fregit ergo scholis suis Lutherus aciem Melanthoni: qui acceptam in cursu suo, ceu lampadem sacra à Luthero, nunquam è manibus deposuit, dum vixit, epistola ad Romanos tractationem.

I. Anno 1520. Cum vix edidisset commentariorū suorū in Paulum Lutherus specimen: versatus est Melanthon in commentatione epistola ad Romanos: quam in scio Melanthon typographus tradidit diuulgandam Lutherus: & in praefatione ad Melanthonem his verbis utitur. Ego quod impij Thomista suo Thoma mendaciter arrogant: scilicet, neminem scripsisse melius in sanctum Paulum: tibi verè tribuo. In eadem epistola Lutherus annotationes Philippi, indicē appellat legenda scripturae, & cognoscendi Christi. Id nullum haecenus praestitisse commentariorum, qui extet, affirmare non dubitat. An. 1522. 39 Iulij. Eodem anno scripsit Melanthon adhortationem ad Christianae doctrinae, per Paulum prodita, studium. In qua, equidem, inquit, ut velim Paulinam doctrinam, non theologis tantum istis scenicis, sed vulgo etiam Christiano notissimam esse: ita puto ad formandam vitam, nullam sapiendirationem accommodatiorem: nullum certius ad felicitatem compendium esse. Et in peroratione nominatim compellans iuniores ait: Proinde iuvenes Christo inaugurati, Paulinae philosophiae animos addicite: nisi non est vobis salus vestra cura. Hinc formam Christianae vitae, hinc animorum solatia, hinc rerum omnium, tum diuinarum, tum humanarū iudicium petite. Etenim iuuentutem in primis refert, nihil antiquius, nihil prius ducere Christiana disciplina: è qua ceu

viaticum feliciter transigenda vite paret. Auditis hic Melanthonem proponere normam seu regulam studiorū adolescentia: illiq; lectionem scriptorum Pauli argumentis grauisimis commendare.

II. An. 1523 iterum prodijt auctior & ornatior commentarius in epistolam ad Romanos, cum epistola ad Corinthios: ut docet Chronologia scriptorum Philippi, scholæ nostræ: quem libellum ideo in manibus frequenter habeant adolescentes: ut considerent partim incrementa lucis diuinæ, superioribus annis per gradus accensa: partim ut cernant admirandam illam laborum in Melanthone assiduitatem: quam tanta DEVS tandem omnium disciplinarum luce ornauit & confirmauit.

III. Anno 1529. dispositionem integram epistolæ ad Romanos Philippus dedicauit HERMANNŌ, Comiti nouæ aquilæ: in qua, quasit series partium in vniuersa oratione, perspicuis verbis ostendit, ac docet: Paulo non defuisse iudiciū in inuentione, prudentiā in dispositione, artem & ornatū, imò verò vim quandam diuinā, in elocutione.

IIII. Anno 1532. iam rursus in promptu habuit commentarium locupletiozem de integro scriptum: quē misit ad ALBERTVM Cardinalē, Episcopū & ELECTOREM MOGVNTIENSEM: de quo hæc ad Camerarium leguntur, anno 1523. verba: Si meos Romanos vidisti: animaduertere potuisti: quā accuratè & μεθοδικῶς eam rem explicare voluerim. Ego spero, prudentes probaturos esse. Illud enim egi: ut necessaria illustrarem: & questiones plerasq; partim falsas, partim inutiles, preciderem.

V. De anno 1536. hæc verba Philippi leguntur in publica intimatione: In secessu Ienensi (tempore pestis) aliquot capita epistolæ ad Romanos, pro mea mediocritate tractaui. Postea cum huc rediissem: quia schola nondum conuenerat: duxi aliquantisper differendam esse reliquorum capitum enarrationem. Quare interim prælegi Colossenses: & quidem locum de iustificatione integrè tractaui: & quantum potui sine sophistica. Nunc redire ad epistolam ad Romanos scriptam constitui: & iterum ab initio exordiar. Δευτέραι προτις ες σοφωτέραι, inquit Euripides. Ideo repetitiones sunt utilissimæ. Ac videtis, in quibusdam horridioribus materijs, quā multa mollierint, & explicauerint repetitiones nostræ, & crebræ agitationes. Me quidem non penitet easdem materias sæpe retexere. Et hunc morem in studijs plurimum prodesse

desse scitote. 14. Septemb. Hunc Commentariū absolutum misit anno 1540. ad PHILIPPVM LANDGRAVIVM Hassia: eumq; his verbis commendat Principi: Quanquam nec Origenis Labyrinthos, nec monachorum deliramenta sequor: tamen non gigno novas interpretationes, ignotas Ecclesæ Christi. Vna est sententia Pauli: cuius vestigia extant in scriptis veterum, Ambrosij Augustini, & quorundam aliorum: & quæ congruit cum perpetuo consensu Propheticarum concionum omnium, & cum testimonijs piarum mentium: quæ exercitia fidei intelligunt: ac sentiunt, animos acquiescere non posse, nisi cognita hac sententia: quam quidem ipsa oratio Pauli efficit: si quis membra non syncophantice discerpit: sed rectè contexit, sequens, ut Plato vocat, λογοςφικηρ ανάγκη, sententiam, quam necessario parit natura sermonis.

VI. An. 1539. 21. Septemb. Melanthonem exorsum eiusdem ad Romanos epistolæ enarrationem: ostendit Chronologia scriptorum Melanthonis in scola nostra.

VII. An. 1544. hæc extant Melanthonis verba, de eiusdem epistolæ enarratione: Perdifficilis est epistola ad Romanos: ut semper iudicatum est. Ideo sæpe legenda est: ac præsertim cum homines fascinati persuasione sapientiæ, valde excreniur dictum Pauli: Fide iustificamur. Aduersus hos confirmandi sunt animi. Iterum igitur, DEO iuvante enarrabo epistolam ad Rom. 22. Nouemb:

VIII. Anno 1548. 18. Sept. his verbis publicè significat operas suas: Sæpe repeti præcipuas materias in Ecclesia necesse est. Et meministi, de omnibus alijs doctrinarū generibus dictū esse ab Epicteto: eadem quotidie & dicenda & audienda esse: & quidē ad usum transferenda. Ideo incoaturus die proximo Iouis enarrationem epistolæ ad Romanos, repetam integram doctrinam δικαιοσύνη, in argumento epistolæ. Vbi & explicatio ipsa postulabit refutationem variarum præstigiatarum: quibus subinde doctrina obscuratur, præcipuè necessaria Ecclesie DEI. Hunc commentarium repetiuit tandem publicè, & typis divulgavit D. Cruciger: quem in exordio illius prælectionis an. 1561. publicè commemorantem meministi: Philippum Commentarium hunc ante annos octo absoluisse. Hic commentarius missus est ad AUGUSTVM ELECTOREM: in cuius præfatione

B E

hæc

hæc extant verba: *Profitetur hæc, quæ nunc edo, præceptoris mei esse omnia: nec tamen dissimulo: me interdum addidisse aliqua: quæ ipse commentarijs suis, quod puerilia viderentur, fortassis inseri nolisset. His verbis significatur, multas phrasium enarrationes, iunioribus utiles, in hac editione contineri.*

IX. *An. 1552. 24. Maij. exorsus enarrationem epistolæ ad Romanos Melanthon, deduxit vsq; ad tertium caput: cuius explicationem incepit Torgæ. 5. Augusti, absoluit An. 1555. 25. Iulij, eamq; his verbis clausit: Deinceps reuertar ad finem tertij capitis: propterea, quod in priore enarratione nihil est dictum de causa Osiandri: quia tunc nondum erat mota. Hæc Osiandri disputatio incoata 8. Augusti, An. 1555. & absoluta 5. Martij. anno. 1556. inserta est enarrationi tertij capitis. Missus est hic commentarius ad VLRICVM MORDISIVM, consiliarium electoris Saxonie: ad quæ his verbis utitur: Apertè reijcio peregrinas interpretationes: siue sint Origenis, siue Thomæ, siue Osiandri synecdocha: ac sequor natiuam sententiam: quam verborum proprietates & phrasis gignit.*

X. *An. 1559 hæc verba excepi, in exordio postremæ enarrationis huius epistolæ, ex ore Melanthonis: Non addemus longos commentarios: ut qui adsunt, possint breui tempore, totam audire epistolam: & imprimant sibi quasi ideam totius operis, &c. Prima pars est disputatio de iustificatione. Secunda est ἀνάγνωσις, de peccato, lege, gratia. Tertia de Ecclesia: in qua discernit ueram Ecclesiam à synagoga populi Iudaici. Quarta pars de bonis operibus, &c. Hunc in modum duo absoluit capita Melanthon sine commentarijs. Sed in tertio capite redijt ad Commentarios, & repetiuit Osiandri argumenta: & hanc enarrationem deduxit vsq; ad caput octauum: quod interruptum successoribus reliquit An. 1560.*

Audistis Melanthonem annos circiter quadraginta assidue laborasse in enarratione Epistolæ ad Romanos: eamq; ferè decies, hoc est, semel quouis quadriennio publicè repetiuisse. Huius diligentie atq; assiduitatis causas cogitate, adolescentes, fuisse maximas atq; grauissimas. Hæc epistola confessio est nostrarum Ecclesiarum. Plurimum ergo interest Ecclesijs nostris: ut sententiam eius veram, natiuam atq; puram, probè cognitam atq; perspectam habeant. Origenes & monachi veluti in labyrinthis inextricabilibus hæserunt: & non tantum à Pauli sententia

sententia aberrarunt: sed Paulo contraria prorsus docuerunt. Melanthon ergo hac etate primus proposuit breuem totius epistolae Synopsin: & ordinem orationis monstravit: quomodo membra inter se cohaerent: qua perpetua & simplex esset Apostoli sententia: ubi aditum ad causam faceret: ubi proponeret: ubi propositionem confirmaret: quae loci essent argumentorum: ubi in causa commemoraretur: ubi digrederetur: ubi ad propositum rediret: ubi concluderet: ubi doceret: ubi suaderet: quando consolaretur.

Hac docendi ratione expeditissima, absterfis scholasticorum doctorum sordibus, restituta est nativa sententia huic epistolae: & lectio eius coepit gratior fieri atq; iucundior, tam scholis, quam Ecclesijs: in quibus multi haecenus putarunt: lectionem huius epistolae parum ad nostram aetate pertinere: sed continere veteres disputationes de ceremonijs & ritibus Iudaorum nunc abrogatis. At Melanthon monstravit: epistolam hanc ad omnes aetates pertinere: ac continere praecipuum Evangelij locum de gratuita remissione peccatorum, propter Filium DEI, fide accipiendam.

Sententiam hanc suppeditat ipsa series Paulina disputationis: quando discernuntur partes orationis: quando partium consideratur series: quando discernitur inter questionem simplicem, & coniunctam: inter genus didacticum, & suasorium: inter confirmationes & digressiones: quando enarrantur phrasae peregrinae: ratio redditur elocutionis: exponuntur prosopopoeia, & alia figura: quibus genus dicendi declaratur.

Hec docendi ratio, cum propria sit scholarum, & quidem triuiualium: intellectum ab omnibus puto: causam nos habere grauissimam: quae nos hortatur, atq; impellit: ut usum studiorum primae aetatis, artiumq; dicendi adolescentibus monstremus, non tantum in profanis ac ethnicis oratoribus: aut in alijs sacrarum literarum scriptis: sed in primis in hac Pauli epistola: in qua tam multi in Graeca & Latina Ecclesia omnibus aetatibus haeserunt: plures grauitate impegerunt: paucissimi scopum Apostoli attigerunt.

Dicam, si potero, hanc sententiam planius & breuius. Ex serie membrorum in epistola ad Romanos, rectissime cognoscitur nativa sententia Apostoli. Doctrina artium dicendi in scholis, monstrat ordinem ac seriem membrorum in epistola ad Romanos. Quare & primum & utile est studijs discipulorum, versari in huius epistolae consideratione: & nativam doctrinam Apostolicam sententiam inquirere.

Assen-

Assentiatur fortassis quispiam huic sententia: at dubitet de fructu discipulorum: cum adolescentes neque genus orationis, neque rerum ipsarum doctrinam satis assequi possint: sed potius ad autores suaviore deducendi videantur: e quibus linguarum proprietatem, & sermonis culturam atque ornatum hauriant.

Ego sic statuo, firmiterque mihi persuadeo: adolescentes bonarum artium atque linguarum amantes, tanto ardentiore complexuros studio, optimos quosque in latina & Graeca lingua autores: quanto maiorem artium logicarum atque linguarum usum, in enarratione sacrarum literarumprehenderint. Imò verò cum finis precipuus sit omnium studiorum nostrorum, vera DEI agnitio, & propagatio doctrinae caelestis: illos solos verum suorum consequi studiorum finem credamus: qui artium & linguarum notitiam, ad enarrationem oraculorum diuinorum & utilem & necessariam esse intelligunt.

Neque verò destitutor hac in causa preceptis atque exemplis clarissimorum & doctissimorum hac aetate virorum. **TROCEDORFIVS**, reipublica huius civis, florenti schola sua, aliquot epistolas Pauli proposuit, magno cum discipulorum fructu, & absque ullius reprehensione. Dominus **STVRMIVS** non dubitat inferioribus classibus commendare lectionem epistolarum Pauli. His enim quarta curia praefectum compellat verbis: Epistolas Pauli diebus festis, & pridie diei festi partieris cum praefectore quinta curia: de minoribus loquor. Longiores enim, tribus concedo superioribus classibus: Et cum has explicabis: non considerabis, quid in suis commentariis faciant Theologi: sed quid Romani fecerint: cum ad illos Paulus scripsisset: quid Corinthij, quid Galatae: quid Philippenses: quid Ephesij: denique, quo modo Timotheus & Titus suas, ad se scriptas, recitarint literas Ecclesiae. Quod illi recitando assecuti sunt: cur non tu interpretando: non commentario: sed verborum commutatione, & numero? Aliud est commentarium scribere: aliud est discipulum erudire. Ad magistrum tertia curia: Festi dies sacros libros postulant, Pauli epistolas: quas velim in quibus superioribus classibus lectitari: intelligi ita, ut vel tota memoria teneantur aliqua: vel loca quadam insigniora. Ad praefectum secunda curia: Festis diebus Pauli Apostoli epistolam ad Romanos tuae & prima curia tribuimus: quam velim memoria mandari ab omnibus: & memo-

& memoriter omnes recitare: quoties postulabis. Nam verè festi-
num est: sacris diebus hoc genere literarum contendere: & memo-
ria certamen in iuventute constituere. Ad primæ curiæ moderatorem:
Quadam etiam festis licet exercere diebus. Ergo aut epistolam Pauli
ipsi tibi explicabunt: aut locum aliquem illustrem Rhetorum more di-
latabunt. Nam id vobis licet facere in scholis: & hac ratio etiam
ad conciones, & ad populum non parvas utilitates affert. Hactenus
STVRMIVS.

Quas, quæso, putatis causas tantum virum impulisse: ut toties idem
preceptum curiis singulis traderet: an non statuit, adolescentibus, ut alia,
ita etiã apostolica scripta, maturè inculcanda? an ignoravit, iuniores ad
nullam omnino sacrarum literarum lectionem assuefactos, adulta ætate
in sacris literis, tanquam in sylva ignota versari? atq; ab ijs tanquam à
lingua peregrina abhorrere? an non detestatus est studia plurimo-
rum? qui anno ætatis vigesimo ne nomina quidem sacrarum literarum
norunt? an non vidit, negligentiam & profanitatem primæ ætatis pu-
niri à DEO, quouis genere calamitatum atq; ærumnarum? & præris
pere adultis, etiam cupientibus & maximè volentibus, omnè tractandi
sacra occasionem? An non vidit DEVM, qua est Ὠλοϋθγωπία , lucem
studio verbi diuini, in mentibus iuuenum accensam, augere atq; ornare
 πρὸς ὀρθάν amplissima incrementorū, dexteritate iudicij, in omni artium
& doctrinarū genere? an non vidit ethnica esse studia omnium scho-
larum, etiam puerilium, sine doctrina cœlesti? **AN TROCE-**
DORFIVS noster, cuius memoria in hunc vsq; diem grata est
regionibus nostris: cum Lutherum ad disputationem Lipsicā seque-
tur: & postea illum ipsum Lutherum cum Melanithone multos annos
in Academia docentes ac disputantes audiisset: non ex his ipsis, tali-
bus & tantis veris, didicisse videtur? rectè se studijs scholæ suæ consu-
lere: si cum doctrina logicarum artium Pauli epistolas coniungeret?

Ostendi rationibus, exemplis, autoritatibus: non alienam esse à stu-
dijs adolescentiæ in schola hac, è qua nonnulli ad ministerium docendi
etiam ante iustam ætatem abripiuntur, lectionem epistolarum Pauli.
Quare ad doctrinam Catechetica, Examen Philippicum, & Confessio-
nem Augustanã, adiungemus deinceps etiam, DEO fauente atq; aspi-
rante,

C

rante,

vante, lectionem epistola Pauli: quam Ecclesiarum nostrarum confessionem esse ex Melanthonē audiuitis.

Expectare vos tandem, adolescentes, puto: qua nam methodo versus sim in enarrando: quem nam secuturus: quid monstraturus captui vestro accommodatum: quid denique omnino acturus.

Illud ipsum faciam: quod in primis faciendum censeo in lectione huius epistola, & toties ipse fecit Melanthon. Ostendam inuentionem, dispositionem, elocutionem Pauli. Hoc est, quod hactenus, ubi potuimus, semper fecimus: propinqua est Melanthonē summa capita, ordinem membrorum, & vim phrasium: ad quam quidem operam precipuum lumen affert nobis versio Lutheri: qui non tantum seriem membrorum paragraphis apte distinguit: & phrasin diuina quadam orationis perspicuitate, grauitate ac suauitate reddit: verum etiam grammaticam vocum constructionem, multis in locis, tanquam artifex diuinus, & singulare organum DEI, singulari dexteritate illustrat. Nihil ergo noui afferam, nihil doctis ignotum, atque inauditum. Sed Lutheri interpretationes, & Melanthonis dispositiones, phrasios denique ipsius enarrationem, ab utroque traditam, in medium proferemus, atque e libris in aures, atque animos pie iuuentutis, voce nostra, non deserente hac ipsa studia Spiritu sancto, transfundemus.

An, obsecro, inter miracula huius aetatis recensebunt, & honorifice predicabunt patres nostri sacrorum Bibliorum elaboratam à Luthero versionem? nos, quae praestiterit vir ille diuinus, nunquam inquiremus? nunquam aspiciemus? nemini commendabimus? An quadraginta annorum spacio quiescit, cumulatam, illustratam, omnibus tandem numeris absolutam, tanto cum eruditorum applausu, & admiratione exceptam, probatam, laudatam, cum dispositionem, tum phrasium & figurarum elocutionis declarationem, sepultam patiemur in chartis bibliothecarum? latentem in tenebris? labentem paulatim e memoria & animis iuuentutis? Absit hac impietas à cœtu adolescentium scholae nostrae: absit à collegio doctum tam frequenti hac ingratitude erga DEVM, erga bonas literas, erga praeceptorem optimè meritum. Ille thesaurum hunc magno & assiduo labore inuentum, nobis tradidit: nostrum est eum obuijs vlnis amplecti. Ille hunc ordine disposuit: nostrum est ordinem illum considerare, & tueri. Ille elocutionis omnem sustulit
difficul-

difficultatem & obscuritatem: nostrum est eius voces, syllabas, literas, sonare, repetere, iuventuti assidue inculcare: & non modo in chartis pingere: sed si licet, etiam sculperere: atque oculis spectandas scholis proponere,

Agite ergo ad rem ipsam tandem accedamus: de inuentione, dispositione, elocutione huius epistolae, scholarum more agamus: ac primum quarum rerum doctrina hic contineatur, verbis Melanthonis recitemus.

DE INVENTIONE. Hac epistola continet precipuam sapientiam: quae est Ecclesia propria.

I. Ostendit enim, & illustrat maxime discrimen legis, & Euangelij, id est, promissionem: quae de omnibus beneficijs filij DEI, de reconciliacione gratuita, & de restitutione iusticiae, ac vitae aeternae concionatur.

II. Docet recte agnoscere Messiam: quem Pharisei putabant occupaturum esse imperium mundi: velut Cyrus, aut Alexander occupauerat: & partiturum prouincias.

III. Discernit iusticiam humanam ab ea iusticia: qua homo coram DEO iustus reputatur agnitione, & fiducia Filij DEI: & qua fit templum DEI, & heres aeternae salutis.

III. V. VI. Docet, quae sit vera DEI inuocatio: quid peccatum: quae prima causa ingentium arumnarum generis humani: quae vera consolatio.

VII. VIII. Deinde quae sit vera Ecclesia DEI: illa ne, quae superbit titulo, propter successionem ordinariam: an quae custos est verae doctrinae, & templum Filij DEI.

IX. Deinde, quid sit politicus ordo: & quod DEVS sit custos politici ordinis: & quod diuino vinculo conscientiae sint alligatae politico ordini.

X. Admonet Ecclesiam de vsu ceremoniarum: de quibus error multa & ingentia incommoda parit.

Harum maximarum rerum doctrina, etsi sparsa est per omnium Prophetarum & Apostolorum conciones: tamen in hac epistola à Paulo, ut ab artifice exposita est integra, collatis membris: & quasi *συνατοποίησις*, ordine usitato in disputationibus artium in corpus unum reducta. Verissime ergo à Melanthone dictum est: epistolam ad Romanos esse methodum ac lumē scriptorum prophetarum & Apostolicorum.

DE DISPOSITIONE. Accurata inquisitio ac diligens consideratio dispositionis in hac epistola restituit nostris Ecclesijs lu-

cem doctrinae non tantum Pauli, sed totius Evangelij. Cum enim haec epistola methodus sit doctrinae caelestis: vera & simplici sententia Pauli recte intellecta: patefieri aditum necesse est ad omnes reliquas partes in Prophetis & Apostolicis scriptis.

Videamus ergo, quam nobis partium seriem, quem membrorum ordinem monstrat Melanthon. Quibus cognitis, non dubito gratiora adolescentibus futura Dialectica & Rhetorica studia: quorum tam insignis in hac epistola deprehenditur usus.

CAP. I. EPIGRAPHÆ inserta est longiuscula descriptio officij Pauli: qua suam vocationem discernit à vocatione Prophetarum & Apostolorum: tradit definitionem Evangelij: docet eam nequaquam esse novam: concionatur de duabus naturis in Christo, humana & diuina.

EXORDIUM. In **EXORDIO** preparat animos lectorum rhetorico more: Gratulatur illis cognitionem Evangelij: significat suam erga illos benevolentiam. Nec difficile est partes exordij ad vulgaria praecepta referre. Quatuor membris constat.

1. Primum membrum exordij: Gratulor vobis cognitionem Evangelij, & opto, ut ea cognitio in vobis crescat.
2. Propositio. Ipse ad vos proficisci sepe constitui: ut vos docerem & confirmarem: ac vicissim à vobis excitarer.
3. Adversatiua. Sed haecenus detinuerunt me harum regionum Ecclesiae: ut ad vos proficisci non potuerim.
4. Ratio propositiois, cur illos docere cupiat. Quia inquit, debeo iuuare Evangelij studia apud

Benevolentia. omnes. Hec pertinent ad commemorationem voluntatis, in exordij vobis. **attentio.** sitatam. Sequitur altera aetiologia, sumpta ex vera dignitate & efficacia Evangelij, qui locus est attentionis: Acerbissima sunt mundi iudicia de Evangelio. Sed non pudeat nos huius doctrinae. Non enim est inanis fabula, non est barbarica superstitio: sed est sententia DEI, patefacta diuinitus: qua vult hominibus impertiri salutem eternam. Huic sententiae additur declaratio: quomodo Evangelium profuit ad salutem. Quia patefacit mirandum decretum DEI de iustificatione hominis: hoc est, de liberatione à peccato, & de donatione iusticiae & vitae aeternae. Hae sententiae in fine exordij recitat propositionem huius epistolae, & statum **Docilitas.** totius causae: qui locus est docilitatis. Nihil ergo deest exordio, quod ad conciliandum, mouendum, docendum lectorem pertinet.

NAR-

NARRATIO. ABSOLVTO EXORDIO, incipit Paulus controuersiam explicare: & duas propositiones tractat: quarum altera ad alteram aditum patefacit. In priore propositione commemoratur per duo capita: cuius haec est sententia: **DEVS** in ministerio Euangelij omnibus temporibus arguit omnes homines in hac natura infirmitate: & affirmat omnes sub peccato esse: id est, reos peccati & aeternae poenae: nec posse liberari à peccato, & ab aeterna ira per propriam iusticiam, seu legem. In hac propositione commemoratur per duo capita. Postea altera principalis propositio sequitur in tertio capite. Propositionem hanc sequitur distributio: in qua primum concionatur gentibus, postea Iudaeis. At gentes esse sub peccato. Quia cum **DEVM** norint: non tamen coluerunt, ut **DEVM**: nec ei gratias egerunt. Hic primum accusat impietatem, id est, peccata pugnancia cum prima tabula. Deinde sequitur accusatio scelerum contra secundam tabulam. Hic locus continet coaceruationem, & magnum cumulum peccatorum: ut lectorem commonefaciat: quales furores grassentur in genere humano, & haec tabella ferè est speculum vitæ impiorum.

CAP. II. INITIVM SECVNDI capitis est conclusio, accusans omnes: qui se propter ciuiles mores iudicant esse iustos. Syllogismus est integer. Maior propositio recitatur in fine primi capitis: Digni morte sunt omnes, tum externa scelera facientes, tum verò alij, qui falsas opiniones de **DEO** in mente circumferunt, & habent viciosas inclinationes in mente plurimas. Sequitur minor in secundo capite. Tu qui iudicas alterum, facis eadem. Id est, qui regis honestè externas actiones: & iudicas eos tantum displicere **DEO**: qui externis delictis polluti sunt: nec damnas te ipsum: sed iudicas te iustum esse coram **DEO** propter externas actiones honestas: facis tamen eadem, id est, habes similia vicia in mente & in corde: dubitas an **DEVS** curet res humanas, an puniat, an exaudiat homines, habes & alias errantes cupiditates.

CONCLUSIO. Ergo cum eadem facias: inexcusabilis es, quisq; iudicas, id est, alios damnas, externis delictis contaminatos. Te non damnas: qui similem habes interiorem prauitatem.

CAP. III. In tertio capite primum est digressio, in qua occurrit obiectioni. Cum Iudaei non mereantur r. p. nec sint iusti lege: cur

Rata est lex? & quare antecellunt gentibus? Vnde potius ipsi sunt populus DEI, quam gentes?

Ad hanc questionem Paulus respondet bifariam: primum affirmatiue, deinde negatiue. Primum affirmat Iudeos prestare gentibus, & habere prerogatiuam: quod habeant promissiones. Hec erat ingens prerogatiua: nosse verbum DEI, & promissiones de Christo: & quidem habere hoc ius: quod promissio nominatim ad hunc populum pertineret. Sunt igitur populus DEI, & habent magnam prerogatiuam: quod ad promissionem attinet.

Inserit obiter alias questiones: ut sit in difficilimis controuersijs. Cum dixisset, promissionem gratiae traditam esse Abrahae, & eius posteris: querit an rata sit: cum tam multi sint & fuerint impij: qui eam aspernati sunt, & interfecerunt Christum? Respondet promissionem ratam esse: etiam si plurimi non credunt. Promissio verè exhibetur credentibus: etiam si sunt paucissimi.

Sequuntur aliae obiectiones, quarum haec est sententia: Cum audiunt homines: nostra opera, & hanc qualemcumque diligentiam regendi mores, non mereri remissionem peccatorum: sed gratis remitti peccata: obijciunt haec absurda: Si hic magnus & grauis labor regendi mores non meretur remissionem: laxemus potius frenos cupiditatibus: praesertim si gloria misericordiae sit illustrior. Quia polluti magnis peccatis recipiuntur.

Haec profanae obiectiones, cum tantum sint calumnia: & pij sciant, non propterea concedi licentiam peccandi: abrumpit Paulus has questiones, opposita breui & tristi obiurgatione: Quorum condemnatio iusta est, videlicet eorum: qui talibus calumnijs immensam DEI misericordiam obscurant. Infra autem capite sexto respondebit ad hanc obiectionem. Nunc credit ad principale institutum, videlicet ad exaequationem Iudeorum & gentium. Primum affirmatiue respondit: Iudeos habere magnam prerogatiuam: quod ad promissionem attinet: non quod ad merita attinet. Nunc additur negatiua responsio: Iudei nihil prestant: scilicet, quod ad meritum attinet. Est ergo sententia: Nequasquam excellimus, id est, non sumus iusti propter nostram dignitatem, propter opera legis, propter nostras virtutes. Repetit propositionem: Omnes sub peccato esse: id est, omnes homines esse reos peccati, irae & mortis

mortis aeternae. Propositionem confirmat citatis testimonijs: in quibus
accusantur non tantum externa delicta: sed etiã interiora peccata con-
tra primam tabulam. Et breuiter inserit occupationem de usu legis:
de quo postea capite septimo copiosè docet.

**SEQVITVR PRINCIPALIS PROPO-
SITIO: QVÆ EST STATUS CONTRO-
VERSIAE.** In propositionibus maximè requiritur perspicuitas.
Ideo Paulus accuratè, propriè, & perspicuè tradit propositionem: Ho-
mines consequuntur remissionem peccatorum & reputantur iusti, &
liberantur ab aeterna morte: non propter propriam iusticiam: sed per
misericordiam propter Christum gratis: & hoc fit fide: cum credi-
mus nobis propter Filium DEI Patrem placatum & propitium esse.
Addit propositioni epiphonema ex collatione contrarij. Cum vera sit
haec sententia: Homines iustos esse fide coram DEO: sequitur nullã esse
gloriationem nostram: Id est, nos non habere propriam iusticiam, seu
legis impletionem seu meritum. Epiphonemati adijcit conclusionem: in
qua breuiter repetit summam propositionis: Pronunciamus hominem
consequi remissionem peccatorum: & reputari iustum coram DEO,
propter Christum per misericordiam, non propter legem. Et hanc mise-
ricordiam fide accipi oportet. Sequitur occupatio necessaria. Omnes sta-
tim cum audiunt hanc concionem: Homines reputari iustos per mise-
ricordiam, non propter legem, interrogant: an concedatur licentia pec-
candi: Paulus respondet: non aboleri legem per fidem, sed multò
magis stabiliri, id est impleri: nempe, confessione veritatis, quod sit
lex DEI, iustè iudicans & damnans nos: deinde imputatione iusti-
cie propter mediatorem: tertio stabilitur lex fide: quia reconciliati fide
habebunt integram iusticiam, in lege significatam.

CAP. IIII. CONFIRMATIO. In quarto capite in-
coatur confirmatio propositionis, sumpta ex Abraham exemplo, & primo
dicto: in quo expressa fit mentio fidei. Et si autem confirmatio tota nas-
citur ex dicto illo: Credidit Abraham DEO: & imputatum est illi
ad iusticiam: tamen quia circumstantiarũ explicatio gignit multa ar-
gumenta: distribuemus eam, (inquit Melanthon) in quinq; argumen-
ta: quae sint in conspectu, ut & nos de doctrina confirmet, & in quoti-
diana inuocatione ac consolatione exuscitent fidem. 1. Argumentũ ab
exemplo

emplo Abrahæ. Abrahamus exemplum doctrina proponitur. Abraham non fuit iustus propter opera coram DEO, sed fide. Ergo & nos iustificamur fide. 2. Ex definitione. Iustificatio est gratuita imputatio iusticia: qua DEVS per misericordiam nos recipit. Non igitur sumus iusti nostris operibus, aut meritis. 3. Argumentum ex definitione, est declaratio & confirmatio secundi. Iustificatio est remissio peccatorum. Ergo iustificatio non fit propter dignitatē nostram, aut merita. 4. Argumentum ex ordine causarum. Iusticia imputata est ante circumcissionem. Ergo circumcisio non est causa propter quam Abraham est iustus. 5. Argumentum ex causa promissionis. Nulla promissio pendens ex conditione legis est nobis certa & rata. Promissionem gratia oportet esse ratam & certam. Ergo promissio gratia non pendet ex conditione legis: sed est gratuita & accipienda fide.

Hic est principalis syllogismus, in hac controuersia precipue agitandus: estq; totius disputationis *ouvéxop*: ductum ex fontibus totius doctrina Ecclesiastica, vel ex loco causarum. Ideo multum lucis addit huic negotio. Exponit qualis sit promissio: quid sit fides: monstrat discrimen promissionum legis, & promissionis gratia. Sequitur amplificatio, qua illustrat fidei naturā & exercitium, ostendit qualis fuerit fides Abrahæ: & in fine addit principalem applicationem: affirmat dictum in Genesi scriptum esse propter nos: ut sciamus, nobis quoq; imputari iusticiam, credentibus in mediatorem: & communem doctrinam esse: & ad totam Ecclesiam pertinere.

CAP. V. Finitū quinti capituli est Epilogus: in quo breuissime repetita est principalis propositio: Fide reconciliamur: & reconciliati, deinceps eadem fide placemus DEO: & habemus conscientias pacatas, non propter legis impletionem, sed propter Christum. Deinde respondet obiectioni omnium hominū: Quid gloriamini vos esse Ecclesiam DEI: vos iustos & DEO caros esse: cum sitis omnium hominum miserrimi, sine imperio, sine defensione, dissipati, vagantes incertis sedibus? Ad has obiectiones respondet. Fateor Ecclesiam DEI certo consilio subiectam esse eruci: sed tamē est heres vitæ æternæ, iusticia & letitia. Hanc certò expectamus inter has arumnas. Sequitur amplificatio: qua colligit signa & testimonia: quòd DEVS nos diligat: scilicet, hoc sum-

mum

num & ineffabile beneficium: quod dedit Filiū pro nobis: & quidem
voluit hunc ipsum esse certum pignus veræ & immutabilis dilectionis.

ANALYSIS. NOVVS LIBER. Superior
pars epistola est contentio. Fuit enim instituta propositio, & argumen-
tus confirmata. Nunc sequitur velut nouus liber. Non enim institui-
tur hic argumentatio: sed quadam ἀνάλογισ singularum partium:
de quibus supra facta est mentio. Nam disputatio superior continet has
propositiones: Omnes homines sunt sub peccato. Quia nemo Legi satis
facit. Sed fide propter Christū per gratiam reputamur iusti. In his pro-
positionibus sunt simplicia membra: **PECCATVM, LEX,**
GRATIA. Hæc membra enarrat, & inter se confert Paulus. Hæc
collatio plurimum affert lucis superioribus propositionibus. Quia defi-
nitiones, & cause sunt fontes negotiorum. Primum autem de peccato
loquitur, deinde de gratia, tertio de lege. Hi sunt præcipui loci doctrinæ
Christiana: quos in Ecclesia extare oportet.

DE PECCATO. Copiosè docet Ecclesiam unde sit pecca-
tum, & qui sint eius effectus. Causa peccati Originalis est Diabolus, &
voluntas primorum parentum: quæ cum esset libera: per se se auertit
se à verbo DEI, nec retinuit obædientiã erga DEVM. Ideo Adam
factus est reus: & fecit ream posteritatem: & exutus integritate nas-
tura & donis: quæ DEVS addiderat naturæ: procreauit deinde ta-
les: qualis erat ipse. Ita propagatur natura rea & corrupta. Effectus
peccati sunt, primum viciosa concupiscentia: quæ & pœna est in rea na-
tura, & peccatum. Secunda pœna est mors, & omnes calamitates ge-
neris humani: Tertia pœna est: quod hæc infirma natura subiecta est
tyrannidi Diaboli.

DE GRATIA. Sicut dixit de peccato, de causa peccati, de
propagatione & effectū: ita docet de gratia, de causa, propagatione
& effectū gratiæ: ut doceat peccatum tolli per gratiam. Primum
igitur confert Adam & Christum. Hæc collatio valde illustrat utrumq;
membrum. Declarat autem modum meriti: quod uterq; alijs merue-
rit. Adam meruit alijs reatum: Christus meruit alijs reconcilia-
tionem. Sed quia in collatione non necesse est omnia esse similia: ideo
Paulus ipse addit correctionem. Multa sunt dissimilia in hac colla-
tione delicti & doni. Primum res diuersissima sunt reatus, seu pecca-
tum,

D tum,

rum, & venia seu gratia, mors aeterna & vita aeterna. Secundo plurimum interest in modo propagandi. Ab Adam propagatur natura rea, viciosa & morti obnoxia: & propagatur generatione carnali. E contra à Christo donatur reconciliatio. Hec non propagatur generatione carnali: sed fide accipitur. Tertia dissimilitudo est magni momenti: Gratia superat peccatum. Si parem vim haberent peccatum & gratia: quo modo gratia saluaret? Necessè fuit igitur in hac antithesi ostendere, gratiam longè potentiorè esse peccato, & victricem esse.

DE LEGE. Affirmat lege neg, deletum esse peccatum: neg, abolitam mortem: imò peccatum auctum esse inquit. Quod postea declarabit. Quia enim conscientia accusata lege fugit DEVM: & in illis horrendis doloribus magis irascitur DEO: peccatum fit multò atrocius: & fit multorum horribilium peccatorum confusio: quare ruit homo in aeternum exitium.

CAP. VI. DIGRESSIO. Priusquam Paulus incoactam collationem peccati, legis & gratiae pertexit: inserit occupationes. Quia magnus tumultus questionum hic oritur: Si non sumus iusti lege, & operibus nostris: sed per misericordiam propter mediatorem: quorsum opus est benè operari? Paulus respondet, alias magnas & necessarias esse causas benè operandi: etiamsi opera non iustificant: videlicet efficiens, impulsiva, finales. Impulsiva, quia manet ordo DEI immotus: ut creatura obædiat Creatori. Efficiens, de qua hic loquitur, est Spiritus sanctus: qui tales motus accendit: qualis ipse est. Hinc duo argumenta extruit Paulus. Natura mortua non sit efficax. Vetus natura coepit mori. Non igitur sit efficax. Minorem probat. Quia baptismus est testimonium: quo mergimur tanquam in sanguinem Christi: ut abluamur, & accipiamus r. p. Ita autem fit remissio: ut propter mortem & resurrectionem Christi, etiam re ipsa in nobis aboleatur peccatum. Nec tantùm de mortificatione loquitur Paulus: sed addit argumentum de vivificatione. Nisi enim accederet vita, & vinceret: nulla esset liberatio. Inde sic argumentatur: Viva natura est efficax. Nos vivificati sumus per Christum dato Spiritu Sancto. Sint igitur actiones congruentes cum Spiritu Sancto. Aetiologia addita est à possibili seu facili, sumta similitudine à servitute politica. Peccatum non dominabitur vobis. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Peccatum

non damnat vos: non imputatur credentibus in Christum: sed placet
incoata obedientia propter gratiam: id est, quia credimus in Christum:
etiamsi est imperfecta. Hic necessariam occupationem inserit Paulus.
Nam illa vox: Non estis sub lege, videtur absurdissima. Nihil enim
magis amant bona natura, quam legem. Si non iusti sumus lege. Ergo
das licentiam peccandi. Sed hæc disputatio Pauli nihil pertinet ad poli-
ticam vitam. Vult nos liberatos esse à tota lege: quod attinet ad iusti-
ficationem: non quod ad obedientiam attinet.

Diluit objectionem duobus argumentis: quæ ambo sunt à causa finali
sumta, vel ab effectu. Christus apparuit: ut aboleret peccatum & mor-
tem: & restitueret naturam: ut instaurata habeat vitam æternam: quæ
est nova & æterna obedientia & sapientia. Cum igitur finis sit illa no-
uitas, vel instauratio natura: necesse est incoari & præstari novam
obedientiam.

CAP. VII. Sicut antea similitudine seruitutis usus est: ita nunc
similitudine secundi coniugij pingit obedientiam: quæ DEO præstanda est.

Ut mulier mortuo priore marito propria est secundi: sic nos libe-
rati à lege prioris Domini: videlicet à condemnatione per terra fa-
ciente, & impellente corda ad dubitationem, diffidentiam, & fremitum
contra DEUM: iam sumus alterius, scilicet DEI: in quo latamur:
ad quem accedimus fide per Christum: per hunc vivimus. Et quia
iam sumus eius proprij, præstetur ei obedientia.

Post digressionem REDIT AD COLLATIO-
NEM supra institutam, de peccato, lege, & gratia: ac præcipue hic
concionatur de usu legis. Et ut fieret illustrior ac conspectior locus: cæ-
pit ab interrogatione. Est ne lex peccatū? Quasi dicat. Supra dictū est, ^{usus legis}
peccatum augeri lege. Item, quod lex exuscitet affectus peccatorū. Vi-
detur igitur lex malum quiddam esse. Respondet Paulus per transla-
tionem. Quod lex est ministerium mortis: non fit de vicio legis: sed
propter nostrum peccatum. Quia corrupta natura non potest satis fa-
cere peccato. Ideo lex nos accusat.

Hic diluit tacitam objectionem: Quid videatur de illis: qui legi
obædunt: quales sunt non modo hypocrite: quorum est inculpata vita:
sed etiam sancti: ut Esaias, Ioannes baptista. De his queritur: an non
sint lege iusti? an lex non profit eis ad vitam? hoc est, ad remissionem

peccatorum, & viuificationem. Hic Paulus respondet: Imo lex est spiritalis: ego autem carnalis. Quasi dicat: Neque ego, neque quisquam legi satis facit. Quia lex est spiritalis, id est, requirit spiritualemente & perfectam obedientiam: quam non prestat natura carnalis. Hic instituit Prosopographiam Paulus: suum exemplum proponit: & monstrat effectus legis, peccati, & certamen, quod est in renatis.

GRATIA. CAPUT VIII. Haecenus dixit de peccato & lege: nunc redit ad descriptionem gratiae, & est consolatio addita superiori querela. Cum enim antea dixerit: Adhuc habere peccatum in sanctis: questio est communis omnium sanctorum: quomodo sint iusti? id est, DEO accepti, & heredes vitae aeternae? cum adhuc sentiant peccata, dubitationes, & multas errantes flammulas cupiditatum in cordibus?

Huic communi questioni omnium sanctorum respondet perspicua asseueratione: Iustificati fide placent DEO, propter Filium mediatorem: & sunt heredes vitae aeternae: etiamsi in eis haeant peccata, videlicet, viciosa concupiscentia & prauis affectibus: si tamen in eis sint conuersio ad DEUM, & fides consolans corda agnitione filij DEI: quae quidem fides est motus Spiritus sancti: qui postea gubernat, & sanctificat renatos: ut repugnent prauis affectibus.

Hic addit declarationem: cui immoratur, posita antithesi: Lex non potuit nos liberare à peccato & morte: sed filius DEI missus est: ut per ipsum liberemur.

PERORATIO. DE NOVA OBOEDIENTIA. Haecenus tradidit doctrinam de iustificatione, & collationem legis, peccati, gratiae. Nunc in peroratione, seu conclusione, addit doctrinam de noua obedientia. Semper enim prius docendus est auditor, quid res sit: postea incitandus est: ut doctrinam ad usum transferat. Est autem haec peroratio initio adhortatoria, deinde consolatoria. Propositio est: Debitorum sumus ne obaediamus carni. Propositioni addit duas rationes. Prima est sumpta à pœnis. Si admittetis falsas opiniones: & indulgebitis prauis affectibus: rursus eritis rei aeternae pœna: amittetis gratiam & Spiritum Sanctum. Alterum argumentum à causa efficiente, & à possibili. Qualis est efficiens, talis sit effectus. In vera conuersione Spiritu Sancto eriguntur corda per fidem. Sint igitur motus congruentes Spiritui Sancto.

Postquam

Postquam tradidit doctrinam: quod oporteat existere nouam obedi-
entiam: atexit gradationem de glorificatione: quæ sequitur iusti-
ficationem. Huic loco admiscet propositionem de afflictionibus: quod
illa noua obedientia versetur inter afflictiones: quia repugnat carni,
Diabolo, mundo, hoc est, toti regno peccati. Ideo instituit amplissimam
& ornatissimam consolationē: quæ distingui potest in sex argumenta.

I. Argumentum ab exitu afflictionum. Ingens gloria nobis red-
detur pro his afflictionibus. Ergo patienter expectemus exitum &
liberationem.

Consolao
tiones in
afflictioni-
bus.

II. Argumentum ab exemplo creaturarum. Tota natura re-
rum subiecta est corruptioni, & abusui impiorum: & gemit nobiscum,
expectans liberationem. Ergo & nos feramus partem communium
miseriarum, & expectemus liberationem.

III. Argumentum ab exemplo Apostolorum. Nos, qui excellen-
tiora dona habemus, affligimur: & in afflictionibus expectamus li-
berationem. Quare vos quoque expectetis liberationem.

IIII. Argumentum à definitione spei. Spes est earum rerum:
quæ nondum sunt presentes. Spe saluati sumus. Ergo nondum præstō
est illa liberatio à morte, & ceteris malis.

V. Argumentum ab auxilio diuino. DEVS verè adest, & ad-
iuuat nos in afflictionibus. Ergo non succumbamus: non abijciamus
fidem, confessionem, victi desperatione.

VI. Argumentum repetitio est primi. DEVS non aliter glo-
rificat, nisi per afflictiones. Ergo tolerate eas: cum sint via ad glorifi-
cationem. Atexit splendidissimam amplificationem de conseruatione
Ecclesie. Quamquam omnia minantur interitum: tamen scitote Ec-
clesiam curæ esse DEO, & non interituram esse. In fine amplificat cer-
titudinem gratiæ & liberationis, mentione dati pignoris, scilicet re-
demtoris & intercessoris: & simul refutat obiectiones, ab obiecto &
causa pauoris. DEVS testatur, se nobis esse propitium dato filio: &
quidem ille assidue pro nobis interpellat. Ergo non abijciamus fidem,
& spem liberationis.

Conclusio totius consolationis: Cū DEVS diligat nos propter meritū
& intercessionem filij: certissimū est, seruaturū esse Ecclesiam: etiamsi
est infirma: & horribilibus furorib, diabolorū & impiorū oppugnatur.

CAP. IX. NOVA DISPVTATIO. *Prorsus noua disputatio instituitur, in qua tamen si doctrinam de iustificatione alicubi repetit, & intertextit: tamen duas alias materias principaliter tractat: videlicet, quis sit verè populus DEI: seu qua sit vera Ecclesia: & de vocatione gentium. Iudei contendebant se esse populum DEI: se esse Ecclesiam: ad se solos pertinere promissionem. Paulus respondet: electos esse populum DEI: & discernit verè populum ab his: qui titulum habent. Discernit veram Ecclesiam, ab illo regno: quod titulum habet: & tamen belligeratur cum vera Ecclesia. Propositio est: Non omnes propagati ab Israel propagatione carnali, aut regnantes in successione ordinaria, sunt vera Ecclesia. Prima probatio propositionis: Ille est filius, quem DEVS sua promissione delegit: & segregauit à filijs Abrahæ. Ergo filij DEI fiunt electione. Secunda probatio: Iacob fit filius non propter opera, sed propter vocantem. Ergo filij DEI fiunt electione, non donis, aut meritis naturalibus aut lege. Videt Paulus hæc longè posita esse supra conspectum rationis humane. Quare interpellat ipse sese: Si Esau & Iacob sunt pares: DEVS utrumq; eligere, aut reijcere debuit. Quia iustus iudex reddit pari paribus. Paulus diluit hoc modo: Pari paribus reddenda sunt: cum soluitur debitum: Eligere est misericordia, non est debitum. Igitur accusari iniusticia non potest. In hanc sententiam citatur dictum: Misereor cuius misereor. Quasi dicat, saluatio contingit per misericordiam, non per debitum. Et de Pharaone inquit: quem vult indurat, id est, sinit esse durum: nec conuertit eum: qui pergit repugnare vocanti DEO. Addit Epilogum, in quo ponit principalem propositionem huius disputationis. Nam in epilogis repetuntur propositiones. Imò interdum initio disingulata propositio, primum in conclusione clarè ponitur. Id hic factum est. Igitur non est volentis, neq; currentis, sed miserentis DEI. Nos non meremur eligi voluntate, aut cursu, hoc est, operibus nostris: sed beneficium est misericordie DEI, gratis donatum.*

Hic statim addit obiectionem: Si voluntate DEI fit induratio. Ergo non potest multi. modo illa Iudeorum conuerti. Concedit non posse conuerti, necessitate consequentia. Quia reiecta est. Sed reiecta est propter impietatem. Si quis autem obtemperat DEO vocanti: non est ex illorum numero.

Hæc

Hac est minimè intricata enarratio: & quanquam fatetur multos reiectos esse: tamen non hoc dicit: nan esse causam reiectionis in ipsis. Et similitudo de luto, & figulo, non hoc vult: nihil agere improbos. Sed eatenus conuenit: quòd ex una massa generis humani DEVS multos conuertit, & reijcit contumaces.

Postquam constituit thesin: quòd populus DEI sit Ecclesia electorum: iam venit ad hypothesein: electos esse ex iudeis & gentibus: idq; probat testimonijs sacrae scripturae: ut ostendat Euangelium pertinere ad gentes. Tandem expresse ponit causam reprobationis. Ait, ideo multos in Israel perire: quia sectando legem iusticiae pertinaciter reiiciant hanc opinionem: quòd suis operibus, & cultibus mereantur remissionem peccatorum: & sint iusti, id est, accepti DEO, & heredes vitae aeternae propter has umbras: id est, propter opera moralia, non propter Messiam.

Vocatio
gentium

CAP. X. Repetit priorem sententiam, de causa defectiois Iudeorum: addit querelam de gentis interitu: collationem iusticiae legis, & iusticiae Euagely. Iudei cogitant legi satis fieri externa obediencia: & hac externa disciplina somniant se iustos esse coram DEO: nec intelligunt, Messiam esse finem legis. hoc est, promissum esse: ut tollat peccatum: quòd lex tantum ostendit & arguit, non tollit.

Sequitur gradatio de modo iustificationis seu de fidei causa, magno opere obseruanda, contra fanaticos homines: qui omisso verbo, nouas illuminationes requirunt.

CAP. XI. Finitio mitigat querelam supra positam de defectioe Iudeorum: & testatur, promissionem adhuc pertinere ad populum: & multos eam consecuturos esse, videlicet qui credunt. Ac primum de suo exemplo argumentatur. Ego sum Israëlita: & adeptus sum promissionem. Ergo Israëlita possunt eam consequi. Altera ratio sumpta est ab exemplo temporum Eliae. Fia monet semper Ecclesiam exiguam esse: & multo maiorem numerum, ac potentiam impiorum. Tertium argumentum sumtum est ex promissione: quae est immutabilis: & pertinet pariter ad stirpem, & ad posteros. Radix est sancta, scilicet propter promissionem: cui patres crediderunt. Ergo & rami sunt sancti. Quia ad hos quoque pertinet promissio. Sed opus est fide accipi promissionem.

Sequitur

Vaticinia
Pauli- Sequitur Apostrophe ad gentes: quas hortatur, ne carnali fiducia
despiciant Iudæos: neue securi ruant contra DEVM, confisi hoc titulo?
quod sint populus DEI, seu Ecclesia. Hoc vaticinium de ruina Ecclesie
gentium euentus ostendit, in Asia, Africa & magna parte Europa. Ad-
dit & vaticinium de conuersione Iudeorum.

In Epiphonemate ponitur exaquo gentium & Iudeorū: & de-
trahitur fiducia meritorum. Hortatur omnes ad pœnitentiam. De-
inde aequaliter proponit omnibus agentibus pœnitentiã consolationem.
Tandem abrumpit disputationem exclamatione: Non omnia consilia
DEI humanis rationibus comprehendere posse: sed amplectendum
esse verbum DEI reuelatum: nec ab eo deficiendum esse: & gratis
mentibus hæc beneficia ingentia, quæ offert, accipienda, & retinenda es-
se, & bonitatem & iusticiam DEI celebrandam esse.

CAP. XII. DE BONIS OPERIBVS. In-
stituit nouam partem, præcepta de bonis operibus. Usitatum est enim
Paulo, primùm tradere vocem Euangelij de promissione gratiæ, de iusti-
ficatione propter Filium, & per eum. Postea addit doctrinam de bonis
operibus, seu noua obædientia, seu præcepta: quæ sunt explicatio Deca-
logi. Est autem caput 12 ἠθικόν, id est, tradit præcepta de priuatis vir-
tutibus. 13 est politicum, de magistratu, & de obædientia. 14 est ce-
rimoniale, de usu ceremoniarum

Capite duodecimo initio proponit generale præceptum de coercendo
corpore, iuxta omnia præcepta moralia. Propositio est: Obtestor vos,
ut præstetis DEO vero cultus spirituales, seu motus cordis: ita ut ob-
temperent corpora vestra, & fiant hostiæ. Deinde accedit ad speciales
virtutes, de obædientia in vocatione, de iusticia seruante metas in iu-
dicando, de dilectione mutua, de beneficentia, de diligentia in inuocas-
sione, de patientia, de precatione, de humilitate, de reprimenda cupidiz-
tate vindictæ.

CAP. XIII. DE VITA POLITICA. In initio
simpliciter & perspicuè tradit præceptum: ut suo quisq; magistratui
obædiat. Deinde addit rationem præcepti: Cum imperia sint ordo di-
uinitus institutus: irascitur DEVS turbantibus hunc ordinem. Ne-
cesse est igitur obædire propter conscientiam. Inserit descriptionem
magistratus à causa efficiëte & finali. Magistratus est minister DEI,
vindex

vindex ad defendendos rectè facientes, & puniendos delinquentes gladio, id est, pœnis corporalibus. Postea recitat gradus obœdientie, interna & externa officia. Addit repetitionem decalogi, & doctrinam de dilectione.

CAP. XIII. DE CEREMONIIS. Additur doctrina de ceremonijs. Quia hæc vita non potest carere ceremonijs: hoc est, ordinationibus aliquibus temporum, aut certorū exercitiorum: necesse fuit Ecclesiam admoneri de usu ceremoniarum. In titulo proponit admonitionem de tolerandis infirmis, id est, nondum satis confirmatis in doctrina libertatis. Deinde tradit regulam: ne quid faciamus contra conscientiam. Postea prohibet mutuas condemnationes in usu indifferentium. Addit præceptum de vitandis scandalis: cum aut liberiores abutuntur libertate: aut è contra duriores, qui tamen non sunt hostes Euangelij, reprehendunt usum libertatis: utriq; obiurgandi sunt. Præcepto de vitandis scandalis adiecit quatuor rationes: prima sumpta est ex genere operum: quod videlicet usus rerum diuinitus ordinatus & concessus, per sese non sit immundus seu prohibitus. Secunda ratio ex officio fraternæ dilectionis: Contra fraternam dilectionem est nocere alijs. Ergo caue ne tua exempla noceant alijs. Tertia ratio sumpta est à dignitate Euangelij. Cauendum est, ne malè audiat Euangelium. Quarta ratio sumpta est ex collatione necessariorum & non necessariorum. Regnū DEI non est esca & potus, sed iusticia, gaudium, & pax in Spiritu sancto.

CAP. XV. Apostrophe ad fortiores: in qua alteram ex superioribus propositionibus repetit. Doctiores suum robur magis in tolerandis, quàm perturbandis infirmis declarent. Docti morem gerant indoctis: & sua commoditate inuitent ad Euangelium imbecilles, & erigant atq; confirmant. Addit præcepto rationem ab exemplo Christi sumptam: quæ est satis perspicua. Postea commendat nobis diuinas scripturas. Concludit locum de usu ceremoniarum: in quo hortatur gentes & Iudeos ad concordiam. Absoluto loco de usu ceremoniarū, quia videri poterat vehementius obiurgasse tum abutentes libertate, tum morosos: addit excusationē: qua rursus mitigat vniversum cœtū eius Eccle. Primum tribuit eis laudem bonitatis & doctrine: deinde ostendit se officio adductum: non tam ut doceret eos: quàm ut admoneret doctos.

E

Postre-

Postremò obiter narrat & peregrinationes suas: & benevolentiam suam erga Ecclesiam, qua Roma fuit, significat: & spem eis aduentus sui facit. Nunc vero ait, in Iudæam se proficisci: ut sanctis egentibus adferat pecuniã: quam in Macedonia & Achaia contulerant Ecclesie.

CAP. XVI. In postremo capite ascripta sunt salutationes, & deinde admonitio: nerescipiantur opiniones pugnantes cum hac norma, quam tradidit.

Audiuistis è multis paucas Melanthonis voces: de dispositione Epistolæ ad Romanos, omnibus eruditis grata, & summa admiratione digna. Ostendit enim verè à Melanthane dictum esse: Sententiam Pauli eam esse: quam series membrorũ monstrat. Seriem verò membrorum videtis eruditissimè congruere cum recepta scholarũ doctrina: quibus etas vestra è libellis Melanthonis, dialecticis & rhetoricis informatur: tum ad rectè iudicandum de rebus utilibus, & necessarijs: tum ad dicendi rationem rectè conformandam. Quapropter nequaquam dubito: pia & bona ingenia, in adolescentia plus accendi Paulina hac disputatione, ad excolenda atq; exercenda logicarum artium studia: quam ullis alijs aut verborum lenocinijs: aut frequentibus preceptorum commonefactionibus.

DE ELOCUTIONE. Sed accedamus tandem ad Paulinam ELOCUTIONEM: de qua primum ad formanda iuniorum iudicia Melanthonis recito sententias.

I. IN ADHORTATIONE AD STUDIUM DOCTRINÆ PAULINÆ. Hanc sibi laudem propriè vendicat Paulus: quòd gratia originem ac propagationem, adeoq; peccati & legis vim excussit. Atq; hac omnia quàm graui? quàm dilucida? quàm eleganti oratione persequitur? Breuiter quidem: sed ita, ut nihil desit: ut nusquam non satis faciat. Periculis orationem aiunt, solitam in auditorum animis tenaces quosdam aculeos relinquere: huius dici non potest ut flectat? ut verset? ut rapiat? ut inflammet legentis animum? Dolet conscientia: consolatur. Sollicitat cupido genitalis: vocat in viam. Retinet, ne frena laxes egrescenti animo: illum ipsum ostendat Christum, qui seruet. Deniq; quidquid morborum animum fatigat: ab hoc pete presentaneum remedium.

AD

AD HERMANNVM COMITEM NOVÆ II.

AQVILÆ. *Me fortasse nonnulli ridebunt: quòd orationem Pauli ad vulgaria dicendi praecepta exigam. Verùm res loquitur ipsa: non sine certa ratione disputasse Apostolum. Nam, ut fuerit illiteratus: tamen omnes sani atq; ingeniosi homines, in dicendo aliquam rationem adhibent: ut auditore ordine de re doceant: & ne quid temerè admisceant alienum à causa. Concedant saltem communem sensum Paulo: si qui triuialem doctrinam adimunt. Nam ut maximè defuerit ei illa pars: qua continet elocutionem: tamen inuentionem ac dispositionem, qua non tam doctrina, quàm mediocris cuiusdam prudentia sunt, concedi ei necesse est.*

Tametsi quaedam etiam nota liberalis doctrina in oratione Pauli III. comparent: qua indicant, eum has artes, quibus puerilis etas instituitur ad benè dicendum, degustasse. Verbis enim utitur & figuris multis, GRÆCAM DOCTRINAM redolentibus: nec sine arte ratiocinatur. Nam & definit prudenter: & diligenter querit causas, & fontes earum rerum, quas tractat: & videt ea, qua obsunt: & singulari artificio, alta tollit, alia mitigat. Est & hoc ab arte sumtum: quod argumentis addit epilogos, non ociosos, sed affectuū plenos: ac vehementiores illos motus, quos vocant πῶθι, tempestiuè miscet lenioribus affectibus: qui vocantur ἴθι: in quibus mirificè valet.

Ego igitur non modo inuentionis, & dispositionis laudem Paulo con- IIIL. cedo: sed quandam etiam elocutionis partem tribuo. Nam in verbis quoddam pondus est, & elegantia quaedam. Verùm aspergit interdum Hebraïsmos: qui reliquis luminibus verborum officunt. Ad hac deest V. compositio, quam sic vocant: hoc est, ratio texendarum periodorum: VI. qua quia ad absoluenda membra sententiarum, & argumentorum conducit: multum momenti solet ad perspicuitatem orationis afferre. At saepe longius iusto fluit oratio Pauli: quia non est astricta periodis. Interdum argumentū, velut puncto, designat, duobus aut tribus tantum verbis: ita relinquitur imperfecta, & quasi mutila sententia. Talis solet esse sermo eorum: qui compositionem negligunt: praesertim si breuitatem ament: ut est cernere in Salustij orationibus. Videmus autem VII. Paulum penè Thucydideo more, breui, exili, & confragoso genere ora-

tionis uti: quae quidem plus aliquanto lucis haberet in tanta breuitate: si accessisset aliqua compositionis cura.

VIII.

Ibid. cap. 2. Diligenter consideret lector, ubi Paulus ad propositum redeat: ut perpetuum ordinem dispositionis obseruet: & tanquam dissimulans egressiones: in quas nonnunquam paulisper expatiatur Apostolus: meminerit principalia disputationis membra: & det operam: ut illa rectè connectat, & coagmentet. Cap. 4. Paulus breui genere orationis usus est. Quare vix unquam reperias apud eum integrum syllogismum. Habet crebra & densa enthymemata: quae à lectore parum attento, non statim cerni possunt: nisi dialectico more distinguantur & explicentur. Boni artifices compositionem & periodos adhibent ad absoluenda argumenta.

Haec commune factio Melanthonis docent: in scholis in primis necessariam esse huius epistolae Pauli ad Romanos tractationem: quod haec sola & doceant, & doceri possint, de genere elocutionis, de forma compositionis, de contextu membrorum, de discrimine inter sermonem proprium & figuratum, de ratione amplificandi. Intelligimus etiam ex his ipsis Melanthonis vocibus: quae in re praecipue laborent Melanthonis in hanc epistolam commentarij: nempe, ut sermonem Grammaticum iunioribus exponant: ut membrorum ordinem monstrent: pondera verborum examinent: proprietatem sermonis Paulini ostendant: Hebraismos explicent: orationem longius iusto fluentem astringant: argumenta veluti puncto tantum designata, in medium proferant: imperfecta absoluant: de Constructione quoque Grammatica alicubi discentes moneant: denique, ut omnem, si quae occurrere rudioribus videatur, obscuritatem tollant. Hic labor, quem usum habeat: quam sit necessarius Ecclesiae atque Scholis: quam lucem afferat praecipuis capitibus doctrinae caelestis: etiam adolescentes cordatiores, atque à studijs pietatis non abhorrentes, haud obscure animadvertunt.

Scitis autem, adolescentes, è libellis Melanthonij schola nostra: elocutionem versari in sermone Grammatico, in figuris, in amplificationibus: quibus genera, seu characteres dicendi discernuntur: quae singula nunc persequi, longum est: & non nisi in serie totius scripti, exactè monstrari possunt. Nos ut interea iunioribus δ' ἔργα, seu specimen elocutionis Paulinae, cui per transennam conspiciendam praebeamus: proferimus

feremus in medium aliquot phrasas Pauli, de peccato, lege, gratia: quas precipuas esse voces, in questione tum simplici, tum coniuncta, supra audiuisiis.

Melanthon epistolam ad Romanos refert ad genus dicendi grande: in quo dominantur figura, metaphora frequentes, & varia prosopœia. Producit enim Paulus hic in medium hostiles quasi acies peccati, legis, gratia, copias auxiliares, & pugnas, longè atrociores: quàm sunt βατραχομυομαχίου regulorum, de angulo aliquo orbis terrarum: cuius possessione paucos frui annos licet. Hic de anima salute agitur: de possessione bonorum aeternorum pugnatur: hic arma sunt spiritualia: & hostes, Spiritus ἀποὸνδ' οἱ καὶ ἀκρίστοι.

PECCATVM. Per vnum hominem peccatum intravit in mundum. Causa originalis est diabolus, & voluntas primorum parentum: quæ cum esset libera: per sese auertit se à verbo **DEI**: nec retinuit obœdientiam erga **DEVM**. Ideo Adam factus est reus: & fecit ream totam posteritatē: & exutus integritate nature & donis, procreavit deinde tales: qualis erat ipse. Ita propagatur natura rea & corrupta. Vsq; ad legem peccati erat in mundo. In clusivè intelligendum dictum: etiam cum lex Mosi promulgata esset, tamen mansit peccatum. Lege non tollitur peccatum & mors. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem. Propter mortem Christi habemus remissionem peccatorum: quæ ita fit: ut simul propter mortem Christi aboleri peccatum, seu mortificari viciosa natura incipiat. Quia simul datur Spiritus Sanctus: ut mortificet veterem naturam: & incoet novam. Non regnet peccatum in mortali corpore vestro. Non prorsus extincta est viciosa natura. Ideo non obtemperetis viciosis affectibus, sed repugnetis. Non exhibeatis membra vestra arma iniusticiæ peccato. In hac militia Christiana acerrimam dimicationem esse oportet aduersus Diabolum, carnem, & omnis generis insidias, & tentationes. Cui exhibetis vos ipsos seruos ad obœdiendum: eius serui estis: Siue peccati ad mortem: siue obœdientia ad iusticiam. Similitudo à seruitute politica. Vnusquisq; debet obœdientiam illi: cui iam subditus est: Vos non estis subditi peccato: sed liberati à peccato: & estis traducti in regnum **DEI**, & subditi **DEO**. Ergo non debetis obœdire peccato, sed **DEO**.

I.
Peccati natura,
tales, &
propagatio.

II.
Tempus
regni.

III.
Mortificatio.

IIII.
Regnum.
V.
Arma.

VI.
Seruitus.

VII. Nunc autem manumissi estis à peccato. Postquam accepti estis
Manumisso *imputatione propter Christum: necesse est in vobis etiam inchoari no-*
stio. *uam obædientiam. Stipendium peccati mors est. Peccatum mere-*
VIII. *tur mortem. Peccatum, occasione accepta per legem, irritauit*
Stipendium *in me omnem concupiscentiam. Peccatum agnitum per legem,*
IX. *perterrefecit me: & in illis terroribus mouit dubitationem, diffiden-*
Copie au- *tiam, indignationem aduersus DEVM: ut fugiat cor DEVM: &*
xiliares. *irascatur iudicio DEI. Veniente lege peccatum reuixit. Cum*
X. *Peccati re-* *in mente verè intelligerem legem, iudicantem seu accusantem: pecca-*
suscitatio. *tum cæpit esse efficax: & horribili errore me oppressit. Sine lege*
XI. *peccatum est mortuum. Quando profani non sentiunt iudicium &*
Mors. *iram DEI: non sunt illi terrores, fremitus & indignatio aduersus*
XII. *DEVM. Peccatum occasione accepta per mandatum, dece-*
Cædes. *pit me, & per illud occidit. Peccatum vt appareat peccatum &*
XIII. *per id quod erat bonum, operatum est mihi mortem: vt pec-*
Incrementum & ro- *catum fiat excellenter peccatum. Peccati magnitudo non cernitur*
bur. *ab ociosis & securis. Sed quando expauescunt corda: ibi verè statuunt*
DEVM irasci: tum vident id, quod est proprium & precipuum pec-
cati, videlicet, reatum & iram DEI. Tunc peccatum conspicitur verè
esse peccatum: & fit valde nocens, seu viciosum, seu reum, & affert
XIIII. *damnationem. Lex Spiritus vitæ, liberauit me à lege peccati &*
Lex peccati *mortis. Viuificatio, que fit per Christum, dato Spiritu Sancto, viuificat*
XV. *nos, & liberat à peccato & morte. Conclufit DEVS omnes sub*
Carcer. *peccatum. Omnes homines sunt rei, subijciendi iudicio DEI, morti*
& afflictionibus.

Describit hic Apostolus integram peccati naturã, mirifica quadam
 profopopæia, varijsq; translationum figuris: monstrat originem pecca-
 ti: docet vnde sumat incrementa: que sit eius duratio, qui effectus:
 tribuit ei regnum, legem, arma, carcerem, captiuos, seruos, stipendium,
 mortem, resuscitationem, cædes, venditionem, manumissionem, deniq;
 abolitionem. He imagines à politia sumptæ, quam vim habeant in elo-
 cutione: cernere singuli in commentarijs Melanthonis possunt. Vide-
 amus phrasés legis.

I. **LEX.** Gentes natura, quæ legis sunt, faciunt. Gentes si-
 Origo legis bi ipsis sunt lex. Gentes etiam habuerunt legem, hoc est, notitiam nas-
 turalem

*turalem de moribus, discernentem honestia & turpia. Gentes ostens-
 dunt opus legis scriptum in cordibus suis; testimonium simul
 reddente conscientia ipsorum; & cogitationibus inter se ac-
 cusantibus aut excusantibus. Lex natura est notitia excusans & ac-
 cusans: Id est, lux diuina, qua DEVS ideo transfudit in humanas mentes:
 ut ipse agnoscat: & peccatum in nobis arguatur. Ex operibus legis
 non iustificabitur omnis caro. Opera legis non merentur remissionem
 peccatorum: nec propter ea homines iusti sunt coram DEO, id est, ac-
 cepti ad vitam aeternam. Per legem agnitio peccati. Lege tantum
 ostenditur peccatum, non tollitur. Lex diuina extat: ut sit testimo-
 nium iudicij DEI: monstrat peccata in genere humano: prohibet in-
 teriorem immundiciem: hanc iudicat & accusat coram DEO: non
 tollit. Gloriatio exclusa est: per quam legem: operum ne-
 non, sed per legem fidei. Doctrina de fide docet gratis donari re-
 missionem peccatorum, non propter merita. Lex operum significat do-
 ctrinam: qua requirit opera: & docet homines propter opera iustos
 esse. Lex fidei significat doctrinam: qua concionatur de fide: id est,
 docet homines iustos esse non propter propriam dignitatem, aut imple-
 tionem legis, aut opera: sed fiducia misericordiae promissae propter Christum.
 Legem stabilimus fide: id est, confirmamus, videlicet, & imputa-
 tione iusticiae: & praesentia DEI in credentibus: qui & in hac vita
 accendit nouam lucem: & novos motus in cordibus: & postea dat vi-
 sam aeternam: in qua iusticia DEI, significata in lege, erit in nobis
 integra. Lex iram efficit: id est, pauores tristes, fremitus in corde, &
 exitiosos dolores in sensu iudicij & ira DEI: ita condemnat & adigit
 ad desperationem. Peccatum reputatur, vbi non est lex. Pecca-
 tum non agnoscitur: vbi non accusatur, & per terrestre conscientia. Mor-
 tui estis legi, per corpus Christi. Id est, liberati estis a lege: ne con-
 demnet, ne nos accuset. Ei quidem libertati estis per corpus Christi: id
 est, per victimam Christum: qui pro nobis satis fecit legi. Affectus
 excitati per legem erant efficaces ad mortem. Nunc autem li-
 berati sumus a lege: mortui legi: qua captiui detinebamur. Narrat
 qualis fuerit seruitus sub lege. Talis fuit seruitus: ut lex non
 solum non deleuerit peccatum: sed etiam auxerit, & armauerit: ut
 nos occideret. Lex est Spiritualis: id est, requirit Spiritualem & per-
 fectam*

II.
 Definitio.
 III.
 Causa efficiens.
 IIII.
 Finalis.
 V.
 Impotentia
 VI.
 vsus legis.
 VII.
 Lex operum
 VIII.
 Confirmatio legis.
 IX.
 Effectus.
 X.
 Securitas.
 XI.
 Mors.
 XII.
 Seruitus.
 XIII.
 captiuitas.
 XIII.
 Obedientia.



XV. feētam obædientiam: quam non præstat natura carnalis. Inuenio
Militia. aliam legem in membris meis: militantem contra legem mens
tis meæ. *Vocabulo legis generaliter hîc intelligatur gubernatio. Quasi
dicat: aliud est gubernans interiorẽ hominem, scilicet, verbum &
spiritus sanctus: aliud est gubernans carnalem naturam, scilicet, cæcæ
dubitationes, & impetus auersi à DEO, errantes flammæ cupiditatum,*

XVI. impatientia in cruce. Lex Spiritus vitæ in Christo Iesu, libe-
Lex Spiri- raut me à lege peccati & mortis. *Lex Spiritus, id est, guber-*
tus, peccati, natio seu motus Spiritus, est metalepsis. *Liberavit me à lege peccati*
mortis. & mortis. *Fide in Christum iustificamur & liberamur à maledictione*
XVII. legis, seu à damnatione. *Moses scribit de iusticia legis: qui fece-*
Iusticia le- rit ea homo, viuet in eis. *Iusticia legis est integra conformitas cum*
gis. lege DEI, ardens & perfecta dilectio DEI & proximi.

*Auditis hic iterum cum orationem propriam, tum metaphoras,
metalepses, similitudines, prosopopæias: quibus legis doctrina, effectus,
usus describuntur. Quod exemplum illustrius proponi potest adoles-
centibus: quo genus dicendi grande aptius exprimat? Quis orator
rum unquam res grauiore maiori verborum splendore, ornatu, pondere
protulit? Restat Gratia appellatio.*

I. **GRATIA.** Si vnus delicto multi mortui sunt: multo
Gratia vna to magis gratia DEI, & donum per gratiam: quæ est vnus
de. hominis Iesu Christi, in multos exuberabit. *Sicut propter vnus
delictum alij facti sunt rei: ita è regione propter vnum Christum alij re-
conciliantur DEO: & sunt accepti DEO.* Iudicium ex vno ad
II. condemnationem. Donum autem ex multis delictis ad iustifi-
Collatio cationem. *Vnum peccatum Adæ attulit condemnationem vniuersæ
gratia & posteritati. At gratia abolet multa peccata. Si per vnus delictum
peccati.* mors regnavit per vnum: multo magis, qui excellentiam gras-
III. tix, & doni iusticiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Ie-
Collatio ef- sum Christum. *Impij succumbunt terroribus peccati & mortis. Mors
fectum mor- manet in sanctificatis: sed non regnat in eis. Sanctificati vincunt
tis & vite.* de terrores peccati & mortis, liberantur ab æterna morte. Vbi ab uno
IV. dauit peccatum: ibi superat gratia. *Gratia est victrix & longè po-
Excell. & tentior peccato. Quemadmodum regnat peccatum ad mortem:
victoria sic & gratia regnat per iusticiam, ad vitam æternam, per Iesum
gratia.* Christum

Christum. Vbi non est gratia & fides: peccatum regnat ad mortem: V.
 id est, non est tantum causa mortis corporalis: sed est causa eius mortis: Regnum
 quae est sensus aeterna ira DEI, & aeterna damnatio. Sed ubi est gra- gratie &
 tia & fides: quanquam sunt in homine reliquia peccati, & mors corpo- peccati.
 ralis: tamen non regnant. Quia etiam si corpus destruitur: tamen
 non sentiuntur dolores inferorum: sed gratia regnat per iusticiam: id
 est, misericordia gratuita regnat & vincit: qua & iusti reputamur:
 & donamur noua luce, sapientia, & iusticia per Iesum Christum. Iusti- VI.
 ficamur gratis, gratia ipsius. Gratia causa
 non rei, donamur remissione peccatorum, reconciliatione seu imputatione sa reconcilia-
 iusticia: cum qua coniuncta est viuificatio. Particula GRATIS tionis.
 excludit nostra merita: & tamen causa reconciliationis mox est addita,
 scilicet, per gratiam ipsius, id est, per misericordiam. Reliquiae secun- VII.
 dum electionem gratiae fuerunt. Si autem gratia; non iam ex Gratia est
 operibus. Alioquin gratia iam non est gratia. Ecclesia non est e- causa electio-
 lecta propter legem: sed populus DEI sunt electi: qui Euangelium nis.
 fide apprehendunt. Ad misericordia est causa electionis, non lex.

Desino tandem: cum ex hac breui commemoratione, luce meridiana
 clarius pateat: orationem Paulinam plenam esse figurarum: & re-
 quirere studia haec scholarum: quibus vis vocum propriarum, transla-
 tarum, pondera phrasium, series membrorum, sententia argumentorum,
 tota denique ratio elocutionis ordine & perspicue explanatur, auribus in-
 culcatur, & quasi ob oculos pingitur.

Quod si quis hic nobis obijciat: nullius esse ingenij atque artis: aliun-
 de transcripta in medium afferre: usque sese aliorum auribus inculcare:
 is has responsi loco Melanthonis habeat voces, An. 1555. 12 Iulij pu-
 blicè prolatas: Ego saepe, inquit MELANTHON, repeto ea-
 dem iisdem verbis, latinè & germanicè. Dicat aliquis: me esse simi-
 lem cuculi, eandem cantilenam ingeminantis. Sit ita sanè: non nego.
 Sed ego iudico esse utile: in docendo eosdem seruari modos loquendi:
 quantum fieri potest: quemadmodum à Geometris fieri videtis. Si pos-
 sem adhuc magis propriè loqui, & eodem modo: omni studio id facerem.
 Socrates inquit: ταῦτα περὶ ἀνθρώπων: eadem de iisdem sunt docenda
 & dicenda. Non multum moueor istis calumniatoribus. Doctor Hie-
 ronymus, sapiens & bonus vir, timens DEVM, dixit ante triginta

F annos:

annos: se iudicare, primam fuisse Ecclesie perniciem: quod & doctores, & auditores fastidierint repetitionem earundem rerum. Doctores voluerunt semper aliquid noui docere: & auditores noua audire. Ideo noui & prodigiosi modi loquendi quesiti sunt: qui deinde rerum ipsarum corruptelas pepererunt. Hisce & alijs commonefactionibus Melanthonis frequentissimis & nos ducti: nequaquam erubescimus, quotiescunq; & ubicunq; possumus, in docenda iuuentute verbis uti atq; scriptis Melanthonijs: simulq; hoc docendi modo monstrare nostris cupimus: quodnam genus orationis usurpatum fuerit in auditorio Philippico: e quo tantos fructus, tantas utilitates, in omni disciplinarum genere, in uniuersam Germaniam, & vicina regna atq; prouincias, auditores secum abstulerunt. Tantisper ergo & vos non dubitabitis de vestrorum studiorum fructu, adolescentes: dum eadem de iisdem, intra hos scholæ parietes, & quidem ex ipsius Melanthonis scriptis traducta, audietis: cuius, quæ in aureis ipsius Rhetoricorum libellis extant, de suis in epistolam ad Romanos, dispositionibus voces, semper sint in conspectu. Quantum, inquit Melanthon, attulimus lucis Epistolæ Pauli ad Romanos, ostensa dispositione: quam qui non animaduertunt, adeo non intellexerunt Paulum: ut, qua de re ageret, ne suspicari quidem potuerint: ubi proponat, ubi disputet, ubi desinat, non uidebant. Itaq; uelut hospites, in ignota regione, errabant: si quando in eius disputationes inciderrant. Hæc Melanthon. DEVM precor, ut propter Filium mediatorum, Dominum nostrum Iesum Christum, studia hæc, tum pietatis, tum bonarum artium atq; linguarum, in his regionibus, in hac republica, adeoq; in hoc musarum domicilio seruet: nec vastationes barbaricas & ethnicas, mahometicas in his locis fieri sinat.

DIXI.

Vota docentium

PIAM IUVENTV,
TEM IN SCHOLA
GORLICENSI, 1585. 1586.

Votum Scholæ Gorl. perpetuum.

*Hæc tua sit schola CHRISTE: tuam tueare SA-
REPTAM:*

Vt celebret nomen, voce, fideq, tuum.

M. Laurentius Ludouicus, Leoberg,
collega docentium in Schola Gorl.

Σ Ω Τ Η Ρ Ι Α.

Lamechides arca egrediens, qua clausus, iniqui
Securus mundi, viderat interitum:

Famq, suos natos, inclusaq, semina mundi
In siccum exponens, letus ouansq, solum:

Pro bonitate DEI tanta, Soteria soluit:

Et vitulos offert sacra probata DEO:

Quod cum mersisset terram fatalibus undis,

Ambitus & quicquid totius orbis habet:

Excerptos numero de tanto, seq, suosq,

Seruasset saluos incolumesq, DEVS

Sic tibi nos, nostram qui texti hanc calitus Argo:

Seruasti & patriæ semina parua scholæ:

F 2

Auste

*Iuste DEVS, tunc cum populata est pestilis urbem
 Hancce lues, cuncta & plena timoris erant:
 Dona damus vitulos labiorum, munera grati
 Oris, & in laudes vota diserta tuas:
 Quòd medios inter fluctus, iustiq; furoris
 Vndas, immeritis parcere cura fuit:
 Rursus & ex nostro tam paruo semine, cœtum
 Producti ingentem, qui tua facta canat.
 Huius ut immensi constant monumenta fauoris:
 Hereat & memori corde paternus amor:
 Nos monumenta tibi, quamuis non qualia Nohe,
 Cuius in æthereis ignibus arca nitet,
 At quæ conditio fert præsens nostra locamus,
 Scilicet hæc linguæ vota precesq; pias.
 Accipe, in æterna tua dum præconia laudum
 Carmine cantemus floridior, schola.*

M. Martinus Mylius Gorli-
 cius, collega docentium.

LITERÆ IN ADVERSIS.

L Audibus extollunt veluti super æthera, docti
 Immenso viuunt quotquot in orbe viri:
 Euoluunt quoties libros: quos Tullius autor,
 Romanæ linguæ nobilis ille parens,
 Ad natum scribens, doctas transmisit Athenas:
 Scriptis vt Graïis iungeret illa patris:
 Quòd non flebilibus saltem numeris, lacrymisq;
 Urbis Romanæ tristia fata gemat:
 Omnia cum bellis iam iam ciuilibus ardent:
 Et leges inter prælia sæua silent:

Sed

Sed quoq; propterea manet illi fama perennis :
Doctorum & volitat sæpe per ora virum :
Quod quamuis solito fungi non munere posset :
Facunda & ciues arte iuuare reos :
Non tamen is voluit sæuo indulgisse dolori :
Qui cordis vires frangere sæpe solet :
Aut etiam Veneris se blandæ iungere castris :
Doctis quæ eneruat pectora blanda viris.
Sed quod pertæsus mox desidis otia vitæ,
Excedens Roma Thuscula rura petit :
Et iam grandæuis studijs iuuenilibus, illic
Oblectans animum, tempora dura leuat.
Addo quod versans multum monumenta Platonis,
Et quæ diuinus scripsit Aristoteles,
Immo scrutatus reliquorum scripta Sophorum :
Quos vnquam nobis terra Pelasga tulit :
Plurima post mortem doctis monumenta reliquit :
Quæ solita a memori posteritate legi.
Ergo velut plenis decantant laudibus omnes :
Quòd Cicero studijs publica damna leuat :
Sic tua non pauci laudabunt carmine facta :
Et Ludouice tuum nomen in ore ferent :
Si qua modò nostris Musis erit æqua voluntas :
Teq; viris alijs annumerare licet :
Quòd dum pestis atrox nostra grassatur in vrbe :
Atq; rogis ardent omnia funebribus :
Non tantùm lugens : cum cernis funera crebra :
Desertaq; vides ciuibus esse domos :
Sed magis hoc angit, pectusq; arrodit amicum :
Quòd Musas cernis linquere tecta scholæ.
Et tamen in tanto luctu, tantoq; dolore :
Dum nos deseruit cætus Apollineus :
Dum metuunt multi caput obiectare periclis :
Ipse manes constans in statione tua :

Intendensq; animum studijs, ac rebus honestis,
 Ad Iouam pariter vota, precesq; facis:
 Mitiget iratus DEVS vt contagia dira:
 Quæ nos peccatis commeruere rei:
 Hinc vt disperfas Musas, tristesq; Camænas
 Colligat, augustæ restituatq; scholæ.
 Hos gemitus inter, lacrymas, suspiria, vota:
 Dum pars antiqui parua vigoris adest:
 Euoluis threnos tristes: quos Helcia proles
 Isacidis scripsit tristior ipsa suis.
 Quæ tibi propterea arrident oracula vatis:
 Quod sint funestis commoda temporibus.
 Non etenim solum causas, fontemq; malorum
 Monstrant: & quare publica damna premant:
 Viuifica ast etiam moestis solatia præbent:
 Quæ sunt pestiferæ pharmaca certa luis.

*M. Barthol. Kistingus Gorlicius
 collega docentium in schola Gorl.*

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ.

πρὸς τοὺς νεωτέρους, εἰς μόρφωσιν τῶν ἀσέβων,
 ἐκ τῶν τῶ Ἀράτῳ.

Δ εὖτε φίλοι παῖδες, σκέψεο δὲ σήματα θεῶν:
 οἷς θεὸς ἀνθρώπους σημαίνει δεξιὰ πάντα,
 ἄσρων ἀρχαίων ὁ πατήρ, ἐπὶ ἔργον ἔγειρων
 ἥπιος ἀνθρώπους, αἰεὶ τ' ἀναφανδὸν ὀφέλλων.
 οὐράνω ἔλκον δὴν ἄρκτοι, ἢ ἄμαξαι,
 ἢ ἑλικὴ ἑτέρη καθάρη, ἑτέρη κωσοσάρα,
 ἐνθα δράκων μέγα θαῦμα, εἰδωλον γέννασι κάμνον,
 ἃ σέφανός τ', ὀφιδόχθ, χηλαί, ἀρκτοφύλαξτε,
 πάρθενος ἢ σάχυς, ὁ προξυγκτήρ, αὐτε βοώτης,
 ἀρκτῶρ χαροπός, καὶ ἄσερες ἠνιόχοιο,
 οἱ δίδυμοι κάλοιο, καὶ καρκίνθ, οἷτε λέοντθ
 ἄσερες, αἰξί ἱερῆ, ἐριφοί, ταῦρος τ', υἷάδες τε

κκφευθ

κηφεύς, κασιέπεια, καὶ ἀνδρομέδης τὸ ἄγαλμα,
 ἵπποστ, ὁ κρηθ, δελτωτὸρ, πλκιάδ-ές τε,
 ἀικτὸς, περσεύς, ὄρνις, χέλυσ, ὑδρ-χόσπε,
 ἰχθύες, ἀιγόκερως, τοξέυτης, σκόρπιος αὐτὸς,
 ὠρίων λοξός, νηλ σείριος, ἐνθα λαγῶς,
 βεργῶ καὶ κηθ, C σήμα, κωδὸς μεγαλοῖς,
 ἠριδ'ανός τε, θυτήριον, ὑδρ-κ, θηρίον ἄλλο,
 κρητῆς, ἐιδ'ωλορ κόρακ Θ, C εἰ μετανάσαι.
 τείρεα ταῦτα θεός, τεκμήρια αἴσιμα τάττει,
 μαλιχέιας ἐπ'ερ ἀνθρώποις πάντοτε μῦσας,
 Δεῦτε φίλοι παῖδες ποτὶ δῶματα ἄγλαα μασῶρ,
 τῶρ τεκμηρῶσων ἄσσωρ τῆρ πᾶσαρ ἀειδίη.

INVITATIO IUVVENTVTIS AD
doctrinam signorum caelestium,
ex Arato.

HUc ades o studiose puer: caelestia disce
 Signa: quibus cunctis decernit plurima rebus
 Commoda Ioua Deus: quo sunt Rectore creata
 Sidera: vt & rerum causas, & tempora signent.
 Voluuntur caelo, metuentes æquore tingi
 Magna minorq; feræ, quarum Cynosura notatur
 Sidonijs, Helicen verò gens Graia salutat:
 Has circum flexu sinuoso labitur anguis:
 Quem subit Idolum pedibus, genibusq; laborans.
 Ad latus illius consistit gemma coronæ:
 Post Ophiuchus adest, custosq; Erymanthidös vrsæ,
 Et radians flammis Arcturi stella coruscis:
 Ac chelæ obscuræ, cerealeq; Virginis astrum,
 Hinc segnis versare boues, & plaustra Bootes,
 Cui modo succedunt torrentia signa Leonis,
 Et ge

Et gemini fratres, ac pressus ab Hercule cancer:
Hinc & Erichthonius, Myrtois merfus in vndis:
Capraque sacra Iouis nutrix, hædiq; hyadesq;
Sed tepidi Veris custos penetralia seruat
Taurusq; Cepheusq; & Cassiopæa parentes,
Filiaq; Andromeda: & sublatis Pegasus alis,
Portitor hinc Helles, Deloton, Pleiadesq;
Post aquila, & Perseus, delphin, cygnusq; chelisq;
Pisces, quos humidis præcedit Aquarius vrnis,
Æquoreusq; Caper: cui spicula dirigit arcu
Phyllirides, prohibens caudam exertare rotantem,
Infœlix monstrum, quod spargit dira venena,
Parte sub Arctoa radiat nimbus Orion,
Syrius atq; Iepus: cui Iasonis additur Argo,
Andromedæq; petens Cetus, Procyonq; proteruus.
Post gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, tum thuricremam qui fertur ad aram:
Centaurus, crater, Phœbi post ales, & hydra.
Errantes tandem stellæ, cursuq; subindè
Tentantes cœli ad solem momenta reflexo.

Talia signa Deus, fatorum arcana recludens,
Affixit cœlo: vt Musarum castra sequamur.
Ergo ades, o puer, ad doctarum tecta sororum,
Quæ sacrata Deo cantantes carmina condunt.

*Georgius Rhonius Gorlicius, collega
docentium in schola Gorb.*

EΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ.

Q Vis putet? insanum tandem superauimus equor?
Dum mala, dum tristes nos petiere mina.
Dum fera quassauit toties Bellona flagellum,
Sanguineam nobis saepe minata necem:
Dum miseranda lues pestis grassata per urbes
Multas, multa hominum corpora fudit humi.
Quin etiam patria dulcissima limina nostra
Infecit grauiter, sic statuente DEO.
Nos tamen aetherei tutata est dextra parentis:
Qui tenet imperio cuncta regitq; suo,
Haud nostrum ob meritum, sed nati funera propter,
Et pia quae fundit vota precesq; sui.
Ergo tantarum memores, praeconia, laudum
Debita dicamus, pectore & ore DEO.
Quod sibi fidentem turbam, caetumq; piorum
Deduxit forti per mala cuncta manu:
Quod procul a nostris auertit mœnibus omnem
Belli terrorem fortiter, atq; famis.
Et quod Musarum penetralia docta tuendo
Seruauit verbi semina sancta sui.
Idem praesenti nos post hac numine firmet:
Tuta sit a cunctis nostra Sarepta malis.
Ne mala temperies caeli, neu pestis iniqua,
Inficiat tabo corpora nostra graui.
Unica Christe DEI soboles, & imago parentis
Aeterni, gentis suscipe vota tua.

G Hostes

*Hostes aduersus, cætum defende piorum,
Quos tibi legisti CHRISTE cruore tuo,
Insidias, rabiemq; mali confunde Draconis,
Ne sanctum obscæno dissipet ore gregem.
Sint procul Eumenides turpes, Marisque furores,
In longa ut liceat pace quiete frui.
Exulet à nobis longe discordia demens:
Per fratres etiam quæ fera bella ciet.
Alma liget potius nostras Concordia mentes:
Viuat & unanimes turba dicata tibi.*

Gregorius Hauffius Gorlicius,
collega docentium
in Schola Gorl.

*DESCRIPITIO FORI SCHOLASTICI
in Schola Gorlicensi.*

P Arcem metu, & lacrymis, Nissi quæ rura fluentis
Gens colis: æthereas gemino quæ vertice in auras
Se Parnassus agit, montesq; cacumine supra est.
Iam redeunt Musæ; redit & formosus Apollo:
Quem volitans nostra depulsum ex vrbe fugarat
Sæua lues, diris & tela infecta venenis.

Scilicet omnipotens genitor (quem voce tremente,
Numinis ætherei fido sub tegmine sola
Tuta latens flexit, dulcis sine munere somni,
Corde premens tristi vitæ commissa prioris
Turba nocens) liquido serpentis in aëre pestis
Pellere vim tantam voluit, pœnamq; furentem.

Ergo iterum florens tectis effusa iuuentus
Emicat in medium, concurrat & agmine denso:
Confluit en numerus peregrina ab sede profectus:

Pars

Pars patriam Inquens Boiorum aduentat ab oris:
Quiq; bibunt Viadrum, qua proxima meta viarum,
Accelerant nostras Musarum inuisere sedes.

Quid memorem Quados? externa & sede relicta
Saxa per, & scopulos, per tesqua & deuia vectos
Danos, ardentis nostris succedere terris?

Hæc fieri dum fortè videt studiosa iuuentus:
Iura, magistratusq; leguntur in agmine longo:
Præses adest: adsunt, quibus est maturior ætas,
Bis seni proceres, impube sedente corona.

Hic puerum, prima signantem haud ora iuuenta,
Surgentem videas, fassosq; admissa vocantem:
Siue quod ingenuas non excoluere per artes
Ingenium: Aonidum aut renuere reuisere Tempe:
Intenti aut nugis, capere assuescere prauis
Moribus: aut Musis alienam ducere vitam.

Hi se iudicibus sistunt, & præside coram,
Interea præses fontis commissa phalangis
Euoluens, proceres dictis compellat amicis:
Quos penes est ingens nostri custodia ludi:
Consulte in medium, poenamq; expendite factis:
Non fauor, aut genus, aut consanguinitate propinqui
Vos moueant, patriæ non ora, dulcia rura:
Sed Themis, & latitans angusto in pectore verum,

Hæc ubi fatus erat: proceres ex ordine lecti
Officij memores, statuunt ob crimina poenas,
Hic ex Romanæ facundo principe linguæ
Instructus consurgere, Mæonidemq; disertum
Ornare: Andini memorare aut carmina vatis:
Ille laboratum arte iubetur promere scriptum.

Ergo quibus sanam non turpis inertia mentem
Occupat: aut hebetes torpent in corpore sensus:
Quos iuuat Aonias feliciter ire per artes,
Et quos vicit amor, laudumq; immensa cupido:
Ingenuas artes prædulcis gloria famæ

Quos libare mouet: succensi laudis amore,
Ingenij vires pertentant: auricomus Sol
Seu quando radijs oriens vibrantibus almam
Ambit humum, Oceaniue cadens sese occulit vndis:
Quò studium ostentent suscepto spontè labore:
Et valeant dignos ad palmæ currere honores.

His demum exactis, impube silente caterua:
Bis senos proceres delectos ordine ab omni,
Præses amans legum, studium commissa fatentis:
Segnicie m̄q; iubet veris exponere dictis.

Si veniam supplex orat: roseisq; pudorem
Ingenuum lucere genis, operumq; labori
Indulisse vident: multumq; valere loquendo:
Illius insigni radiantia nomen ad astra
Laude ferunt proceres: inhians quò cætera pubes:
Mota subardescat paulatim: & fingere læta
Tentet idem, fixam flagrans contingere metam.

Sin animaduertunt labem: durumq; laborem
Detrectasse vident: digno spoliatur honore
Discentum in cætu: tacitoq; vltro ora rubore
Suffusus, cælo vix audet tollere vultum:
Et dolet amissam trepido sub pectore palmam.

Chrysoarea clarus studiorum Rector in vrbe
Calcar id effinxit: fama vt super æthera notus
Flos iuuenum fieret: nec non TROCEDORFIUS ipse,
Dum celsi licuit cæli conuexa tueri,
Subdidit, extimulans primæuo flore iuuentam:
Aduena diuersis quæ tum confluit ab oris.

*Fridericus Papa Gorlicius, collega
docentium in Schola Gorl.*

IN

IN SCHOLÆ DISSIPATÆ
INSTAURATIONEM.

P Arcite Nisiicola lacrymis iam, parcite, Musa:
Lugentes nimum patria tam tristia fata:
Hic ubi se duplici Parnassus vertice tollit
Altius, & longè montes supereminet omnes.
Parcite Nisiades, satis est: DEVS ipse misertus
A miseris animo conceptam sustulit iram.
Mittite corde metumq; luis, mæstasq; querelas:
Non tam sauit atrox hominum furor: improba cessis
Letifera pestis rabies, caciq; veneni.
Magnus erat quamuis gemitus: multiq; per oras
Finitimas fugerent: multi statione relicta,
Finibus & patrijs, latebras, loca tuta petebant:
Inciperet cum iam late sauire per urbem
Vis violenta luis, volitantia tela veneno.
Vsq; adeò turbata fuit pars maxima cœtus,
Sepe ciens lacrymas: ut tandem nostra Lycea
(Tecta augusta, foro in medio, tutissima quondam
Templa cucullatis: sed qua nunc ampla Camænis
Hospitia in multos præbent feliciter annos)
Turbata & subito passim studiosa iuventus
Hinc properaret abire fuga: nullasq; morandis
Afferret causas, ne forte pericla subiret.
Quis vobis Musa cernentes talia sensus?
Densari inciperent cum totis agmina campis?
Porticibus vacuis, deserta Lycea manerent?
Sed fateor, rapuit nobis violentia pestis,
Infandum dictu, sociumq; Virumq; laborum,
Dotibus ingenij ornatum, pietate, fideq;
Et bene de patria meritum grassante veneno.
Insuper eripuit nobis hæc pestis acerba
Ingenui vultus, simul ingenuiq; pudoris
Non paucos pueros: quibus & maturior ætas

Creuerat: in quibus & fuerat permagna voluptas,
Curag, praecipua, ingenuas coluisse per artes
Ingenium: & linguas primis cognoscere ab annis:
De quibus haud bona spes esset frustrata docentes:
Quig, suas voces iurxissent, Vota, precesq,
Cum sacro numero, iurato in vulnere CHRISTI;
Præterea & mores placidos in flore iuuentæ
Rexissent ipsi: nec non meliora monentes
Spontè secuti essent: nisi stamina rupta fuissent.

Non ita turba malis gaudens, & nescia legis
Dia, contemptrixq, DEI iuuenilibus annis:
Non etiam nostris adhibens hortatibus aures:
Quam DEVS è medio violento funere pestis
Sustulit iratus: quàm vellet in ordine nostro
Nunc & pauperiem, diros & ferre labores,
Atq, frequentare vniuersa sacra templa, scholamq,

Talis fama volans, tanti prænuncia luctus:
Funera tot cecidisse nefanda morte Lycei,
Membra schola, nutrita diu, vestita per annum:
Consedisse urbem luctu tam tempore longo:
Tota domos, urbemq, simul, loca cuncta querelis,
Nec non Lusatia Tempe turbata replebat,
Hec fuit illa quidem tantorum causa malorum:
Causa chori sacri patris lugentis in oris:
Hec fuit illa lues: quæ nos suprema manebat
Peccatis positura modum, vicijq, nefandis.

Ecce autem Dominus pestis, spes una salutis,
Anchora, protector cætus, nostrig, Lycei:
Vota precesq, piæ qui percipit auribus omni
Tempore: datq, suis posita placabilis ira
Prospera cuncta: pijs inopinag, gaudia reddit:
Ille DEVS scelerum vindex, iustissimus æqui
Improuisus adest: infectag, tela veneno
Pestifera mortis, contorta in castra sororum,
Castræ nouenarum, disiecta & diruta fato

Disipat:

Disipat: aspiciens oculis vultuq; benigno
Limina nostra schola: quae iam sex mensibus vsq;
(Infandum) clausa & penitus deserta iacebant:
Resituitq; simul discentes atq; docentes.

Hac grassata tenus fuerat violentia pestis,
Et vix desierat: quando intra mœnia Cives
Respirare domi inciperent: inopinag; secum
Gaudia librantēs inter spem saepe metumq;
Vixq; sibi credunt: Veluti qui noctis opaca
Somnia versat amans, excusso manè sopore,
Quae modò leta ferunt animis, modò tristia mittunt.
Pro lacrymis, redeunt risus, & gaudia: quisq;
Pectore & ore DEVM laudans cantuq; celebrat:
Quod patriam in solidum rursus DEVS ipse locasset:
Signa tot & manifesta sui monstrasset amoris.
Ipse pater Nil sus gaudens, nec gaudia falsa
Disimulans, summa placidum caput extulit unda:
Latitia exultant fluctus, noua gaudia tentant.

Interea pueri adueniunt aetate minores:
Insequitur nimbus maiorum: nulla moratur
Segnities: sed verus amor, cupidusq; videndi
Præsentemq; statum patriæ, fora, templa, scholamq;
Confluit & numerus confestim è ciuibus ingens:
Quos nos extinctos crudeli funere mortis
Peste putabamus, non tanto tempore visos.
Sed DEVS inter nos sibi semen fœdere iunctum
Seruauit sanctum: memori quod corde teneret
Facta stupenda DEI: possent memorare nepotes:
Ne tam ceca animos condant obliuia nostros.
His ergo datur ante alios pars ordine prima:
Alter a vicinis Fibri, quem nomine Bobri
Accola nunc dicit, testatur gaudia summa.
Ipse etenim imbriferas effundens spumifer undas
Bober, arenosos qui fortè vagatur in agros,
Bober ouans mittit Spartanos atq; Saganos:

Quisq;

Quiq; colunt virides vineta feracia colles :
Cuius adiuncti nostris loca tuta reuisunt,
Qui primis horis vestigia prima secuti,
Venere ex templo, & bene nota Lycea frequentant.
Tertia Boiemis : ubi fertilis vberis campus
Est, & pinguis humus, dulciq; vligine lata,
Nigra ferè, & presso pinguis sub vomere terra.

Hos super aduentant longo ordine deinde sequentes,
Quos Viadrus mittit piscosus, Marchia diues :
Nunc ubi Francorum vada sunt monumenta vetusta,
Quos latè Viadrus vicinos alluit omnes :
Et quos ipsa parens virtutum Slesia mittit
Cives, & quosdam claro de sanguine cretos :
Qui possunt veterum effigies ex ordine auorum
Ostentare suos proavos ab origine longa,
Et galeam & clipeum, varijsq; coloribus alas.
Præterea multi veniunt hinc inde Coloni :
Iungere qui studijs nostris, & religioni
Se malunt sacra, ingeniumq; efferre per artes
Ingenuas : quibus & superest angusta domi res,
Exigui sumptus : quos fama obscura recondit.

Tandem etiam veniunt habitantes aquora circum,
Et qui littus arant, Dani : quis sæpe per aures
Nomen ijt nostræ patriæ, nostriq; Lycei,
Exciti fama veniunt, se iungere nostris
Cuius optantes : reparata Lycea frequentant :
Quæ resonant iterum, sacro duce, & auspice FLATV,
Verba DEI, nec non mysteria Græca, Latinaq;
Et quæ Tharsensis docto ordine protulit olim
Calitus edoctus, Cilicum benè notus in oris,
Ausoniam ad gentem : quibus haud iam clarius vllum
Extat opus, studio excultum ingenioq; fideli.
Græca Latina simul resonant Oracla, LVTHERVS
Incipit ingenuam rursum informare iuventam :
Dogmata dia docens, & sacra oracula pandens,

Et nor-

*Et normam tradit viuendi: Vera salutis
Qua via sit: qua nam germana potentia legis:
Quidue velint fidei nostra sacra symbola: monstrat
Quem sibi deposcat natium oratio sensum.*

*Hic numero in tanto diuinus in arte MELANTHON
Grammaticam rursus docet: & fundamenta ponit
Prima: deinde refert nouus ille artisq; repertor,
Aeui quas nostro Dialectica continet, artes:
Insuper adijciens, propria est cui copia fandi,
Eloquij praecipua simul, monstratq; figuras
Multiplices, studio inuentas atq; arte politas.*

*Hic etiam summus dicendi Tullius autor,
Atq; parens Latiae per tot iam secula linguae:
Is facit ingenuas mentes: ac moribus ornat,
Qualis in officio puer omnis debeat esse:
Atq; docet quis sit sapiens Orator habendus.*

*Hic Maro, qui primas vatum tenet: ille Poetam
Collocat ante oculos: docet ordine fundere versus.
Comicus hos iuxta Lybicis qui natus in oris,
Cuius habet varios hominum Comœdia mores.*

*Ludus & hic noster florens iuuenilibus orsis
Defectus Solis monstrat, Lunaeq; labores,
Astrorumq; obitus: quin caeli orientia signa,
Naturaeq; vices, vires, causasq; latentes:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumescant:
Tandem etiam flagret cur nunquam impune Cometes.*

*Ante oculos interq; manus sunt omnia nostras
Hæc studia: in lucem qua magnus in arte Philippus
Produxit: que non ita pridem nota iuuentæ.*

*Quid memorem reliquas horas: mora longa referre est.
Nam schola nostra probat sancti monumenta Philippi,
Florescens studijs cultu meliore vicissim,
In declamando alternis in disq; putando
Differit, informans iuuenes iuuenilibus annis,
Ostendens, quæ vera, aut quæ sint falsa putanda.*

H

Judicia

*Iudicia exercet Prator spectante corona,
Instituens studiorum etiam certamina: doctis
Ordine quo contra possint contendere verbis.
Instructos tandem nec non multa arte paratos
Excipit haud paucos iuvenes Academia quaeuis:
Sape adeo mirata fuit, miratur & usq;
Pectora diuinis qua sunt exulta per artes:
Sapius ut tandem multo dignetur honore.*

*Ergo DEVM merito demissa voce precemur
Noctes atq; dies, tensis ad sidera palmis:
Seruet ut in patria Musarum templa scholamq;
Alueolos nostros, nec non reparata Lycea,
Et qui desudant sacra in puluere ludis,
Plantantes Iona caelum, plantaria sacra:
Et teneros cetus puerum: qui signa sequuntur
Christe tua: & qua purpureo sunt sanguine tincta
Militia in sacra: retinent qui scripta Philippe
Sancte tua: & doctum praeclara reperta Virorum,
Pellat & à nobis procul hinc ad Bactra vel Indos
Barbariem, tantos inter variosq; tumultus
Bellorum: maneat seruante Ecclesia Christo,
Illi Nisibades sint cura & Lusatis ora.*

**Paulus Popilius Gorlicius, col-
lega docent: in Schola Gorl.**

DISS.



DISSIPATIO SCHOLÆ
GORLICENSIS PER PE-
stem, Anno 1585.

*Libra dièi, somniq̄, ferè cum fecerat horas
Æquales: Et iam Septimus Imber erat:
Quartus Et extulerat pelago caput auricomum sol:
Claudebat pestis docta Lycea Scholæ.*


INSTAURATIO SCHOLÆ
GORLICENSIS post pestem,
Anno 1586.

*Post ubi sol sidus Pisces lustrasset aquosum:
Cœlestiq̄, dies sex maduisset aqua:
Nisiadas rursus ad Musas effusa iuventus,
Gorlicia ingreditur limina nota Scholæ.
Sacra dies tibi VICTOR erat: nam vincere præsens
Exitium dederat Ioua, malamq̄, luem.*

Gregorius Richterius Gorlicius,
collega docentium in Schola
Gorl.

31 25
290 12

AR. M. C.
260 12



EPIGRAMMA

In idem thema cœli, complectens angulorum cardines, Oeconomix dispositorem, & eiusdem Systematis

σύντομος.

Cœliuagi hunc positum referunt: post funera Pestis Gorlicium afflueret cum studiosa cohors.

Cuspio

Cuspis in Eoo Solem, Martemq̄ tuetur:
Qui, tectus Phæbi lumine, sorte latet.
Inde Draco Chirona premit: dum in Culmine pendet:
Qui, ceu fama refert, corpore mistus equo est.
Hinc etiam infelix, radijs afflictâ malignis,
Tristis in occidua cuspide Virgo iacet.
Ast humero Geminos fulcit nimbosus Orion:
Cui cæli sedes infima sorte datur.
Sceptrigeros Cytherea duces vincitq̄, regitq̄:
Quam præpes cursu sectus oberrat equus.
Juppiter hinc regni socius moderamina rerum
Suscipit: hunc radijs Luna propinqua premit.
Ergo quicquid inest leti: quod sidera fausta
Promittunt: sancto id numine Christe fove:
Aduersi positus vel si quid fortè minatur:
Aufer id è medio, qui regis astra, Deus.
Alueolosq̄ tegas Patriæ, sanctumq̄ Senatum:
Mæstæ & defendas agmina nostra Scholæ.
Sic semper nomenq̄ tuum, laudesq̄ manebunt:
Et tibi Nisicola carmina grata canent.

Gregorius Eichlerus Gorlicius, colleg
 docentium in schola Gorl.

IN FORVM SCHOLASTICVM
 Viri Clariss. VALENTINI IRENÆI TROCE
 DOREII Gorlicensis, de patria benè meriti,

Qui vada ceca secas, bibula sulcator arene,
 NISSE pater, placidis decurrens grandior undis:

H 3

Fo

Da faciles ventos, undamq̄, auramq̄ patentem,
In madida ponens, mecum vestigia ripa.
Ipse aras statuam viridi de cespite, & umbras
Lustrabo, tumuloq̄ feram solennia dona,
Inferias inopes: sed recte pignora mentis:
Quae praeceptori debentur iusta sepulto.
Si quis inest cineri sensus, TROCEDORFIVS ipse,
Hos etiam questus, lacrimas has, audiat urna.
Salve sancte parens, salve diuine Magister:
Tuq̄ viri, caelo suscepta, ante ora Tonantis
Quae volitas, tegerisq̄ sinu genitoris, imago.
Certe etenim fletu squallent, en aspice, saxa,
Saxa etiam nostri, solatia rapta, Lycei,
Et querulas edunt voces, suspiria, planctus,
Dona, pias lacrimas, & debita munera patri.
Hic vir hic est patrijs flagrans quem crebra sub antris
Musa arsit: Galatea, comas dum siccat, euntens
Mirata est, stupuitq̄ viri per caerulea gressus.
Paruus adhuc armenta puer cum pasceret, inter
Littoreas frondes, atq̄ inter flumina nota,
Obstupuere etiam cantu, Dryadesq̄, Napeaq̄,
Et Panes socij, & nemorum montana propago,
Attonitis inhians animis, & pectore toto,
Quippe pater Nissus memoranda inuenta canentem
In vitreas defert sedes, pendentia tecta
Pumice: fas puero, fas tanto limina diuim,
Riparum penetrare toros, Glauciq̄ recessus
Tangere ait. simul alta iubet discedere late

Elumina's

Flumina: qua subito gressus inferret alumnus.
Continuo, gremium pandens, circumstetit unda
Curvata, in scopuli morem, misitq; sub amnem,
Accepitq; lacu vincentem carmine cygnos.
Olli etiam Phæbus, magnum testatus amorem,
Tendenti ad summi geminata cacumina montis,
Prima rudimenta, atq; operi fundamenta tanto,
Artifici monstrat dextra, artificii arte lituras,
Scribendiq; modos: pastor quos cortice scripsit
In levi, canna, sacrata reperta, palustri,
Plena tenens undis, mixta fuligine, vasa.
Famq; canit, montesq; affatur: iamq; salutar
Surgentesq; lacularices, & carula regna,
Nerides, Phorciq; choros, sensuq; carentes
Speluncas: pulsa referunt ad sidera carmen
Leticia rupes, scopuli, nemora avia, silvæ.
Tantus amor Phæbi: presentis tanta Dei vis
Insinuat sese venis, penitusq; per artus
Diditur, atq; agitat toto se corpore numen.
Nec mora deseruit patriam, patriosq; penates
Vertit, & arguto Philo Mele pendet ab ore,
Signa secuturus Musarum, signa Mineræ.
Quin totum sese ludis, propriumq; sacrauit.
Namq; memor matris, voluit sudando labores
Ferre scolis: operam sine fine locare Lyceis:
Musarum in ludis, in fontibus, in Parnassi
Verticibus, sacros VERI recludere fontes
Commisissis fidei, cura, studioq; fideli.

Ille animi egregius, fortunatusq; laborum,
 Urbe etiam, moriens, patria, post fata reliquit:
 Quos fandi decus insignes: quos Delphica laurus
 Illustres reddit populis: quæ infula sacris
 Assurgit veneranda comis, capitiq; tiaras:
 Ingenio claros multos: sacrata Senatus
 Numina, iustitiæ cultores, atq; magistros,
 Et vates: Phæbi secessus, docta Lycea
 Qui nunc tot servant voluendis mensibus annos.
 Quippe etiam, placida compositus pace, gubernat
 Alueolos nostros, Musarum castra, Quiritum,
 Et paruos puerum cætus, plantaria Iouæ.
 Namq; forum instituit ludo, de more, Senatumq;
 Ausonidum, Graiùm^B virum, veterumq; Sabinum,
 Ad Catti ripas, & amenos frigore lucos:
 Praetoremq; dedit: certa qui lege paratus
 Et premere, & sciret loris laxare solutis
 Imperij fasces, frenos, & vincla Lycei.
 Viginti exactis complentur mensibus anni:
 Ex quo seruat adhuc, dictis & legibus ornans
 Nostra Lycea foro: seruant rerumq; magistri.
 Ut si fortè puer, studiorum limine primo,
 Deijcit imprudens animum: si blanda voluptas,
 Si luxus, si somnus eum, petulansq; libido
 Occupat, obsceni mores: Phæbeia spernit
 Munera, mente deum, Musarum & sacra ferentes,
 Deceptus falsa melioris imagine cura:
 Siue reus sceleris, fraudisue, doliue repertus,

Jam

Fam præcepta negat duras dimittere in aures:
Seu iuga detrectat legum, seu vincula recusat:
Stat contra mandata ferens, mandata Lycei:
Indiciq; forum, rostra & popularia prator,
Officij; memor puero tum talia mandat.
Vade age, care voca frenos, & mente feroce
Vincula recusantem, collo desueta soluto,
Imperium, & fasces: non iussa facessere letum:
Non ducis imperio nostri parere volentem.
Quo diuersus abit? celeres fer dicta per auras:
Anormes ausus, & facta procacia, fastumq;
Atq; animum, & cristas ponat, flatusq; remittat.
Si non ulla manet tumido nunc gloria rerum:
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Si se non potis est legum submittere habenis,
Imperij; iugis: potis est nec vertere cursum:
Hinc fugiat Mauros super, & Garamantas, & Indos:
Et quarat sedemue aliam, quaratue magistros.
Aut si fortè meas voces, mea iussa paratus
Ludibrio spernet: vanam sine viribus iram
Esse ratus, neruis regni sine nomen inane:
Cura Iouæ, & Clarij decus immortale Magister
Ad pœnam inflatum grauiâ ob commissa vocabit.
Sin perstabit agens: nostro de lumine, nostro
Degrege, de sancto cœtu, sancto agmine, castris
Christigenum eiectum penitus, nostroq; Lyceo,
Carceribus premet, ac vinculis, sacer ordo Senatus:
Tutela insultus contra, rabiemq; Senatus.

Dic redeat, causam dicat, crimenq̄, scelusq̄
Conuentus in medio: stat sic sententia, patrum
Judicium, summa est, hic nostri nuncius esto.
Nulla mora in puero: celeres mandata per auras
Fert, subitoq̄ reo pratoris iussa, minasq̄.
Quid struis? aut qua spe nostris teris ocia terris?
Non te non clari formandi gloria vatis
Digna manet, Phæbi, rerumq̄ oblite tuarum?
Quin potius causam, crimenq̄, nefasq̄ refelle
Orando, leges seruans, & vincula ludi.
Pone animum, status, rebus poscentibus, vtrò
Mitte, moras rumpens, effrontemq̄ exue mentem:
Triste supercilium, & bilem, vultusq̄, minasq̄
Supplicibus supera votis, iramq̄ magistri.
Exemplò videas studio gestire legendi
Ardentem curis, latebrasq̄, & sola volentem
Fam loca (si melior, bonus &) librosq̄ ferentem,
Et chartas, & plena nigra lolligine vasa,
Verba sequi, calamos acui, duciq̄ lituras:
Dum timet iratos censores, dùmq̄ Senatum.
Ast roseo sidus lucem cum ducit ab ortu
Lucifer Idalium, Veneris iustissima cura:
Et iam tempus adest: patres longo ordine cernit,
Quos penes arbitrium, pressisse sedilia: surgit
Confessu in medio, septusq̄ impube corona
Dicit agens causam reus, & commissa fatetur.
Fam petit, atq̄ orat: retrò se tendere, cursum
Vertere, se studijs unquam non deq̄ futurum,

Aut

Aut operi nunquam tanto, egregioq; labori,
Artibus egregijs nunquam: parere regentum
Imperijs, utroq; animum summittere velle.
At si docta satis retulit, si congrua sensu,
Et Phæbo, & Musis, & Pallade digna locutus,
Apta satis, Latium redolentia, verba sonorem
Auribus Ausonijs solitum melioribus annis:
Ingenio, & lingua, & studio meliore polita:
Continuò inq; reum mentemq;, animumq; benignum
Accipit, & facilem dat sese maxima turba,
Conatusq; probat, patrum, curamq;, fidemq;,
Suppliciumq; volens donat. nam tantus habetur
Et studijs, & tantus honos, & munera Musis.
Aspera sin contrà fundit, sin barbara ructans
Verba sono, non culta satis, non arte polita,
Vel nitiâs in comita comis, in comita capillis,
Horrida, clauda etiam pedibus, non splendida palla
Romana, Graiaue, genus nec fronte serena:
Ordine subijcitur pænis: suffragia dicunt,
Et præceptor, patres, iuuenumq; magistro
Committunt causam, pœnamq;, modumq;, reumq;.
Officijsic nil, ratio quod poscit & ordo,
Perdit inops animi socordia, inertia, mentis
Mollities, animusq; ignava degener umbra.
Hanc tulii, hanc fixit legem TROCEDORFIUS, ille
Noster amor, nostris Vates in montibus ortus,
Ad pueros Catu latices: neu cardine verso
Cessaret rerum pubes, neu pectore segni

Victa manus daret. at potius magnoq̄ labore,
Et vigili potius studio, curaq̄, fideq̄,
Tendat ad astra viam, summum molita per artem.
Ex illo celebratus honos, letiq̄ magistri
Seruauere scolis morem: praclara reperta
Nissus aqua rector patriae, viridantibus herbis.
At vos Palladij iuuenes, Phæbiq̄ clientes
Imperijs, ultroq̄ animum summittite vinculis:
Si vos digna manet Musarum gloria: si vos
Laudis amor, Phæbiq̄ decus: parête parati.
Ecce pedem retrò Pestis, contagia spargens,
Et fædo glomerans passim procul agmina letho,
Vanesens tenues etiam nunc exit in auras:
Musarum accipimus pubem penetrabilibus altis
Rursus, et immorimur studijs, rerumq̄ magistris
Praferimus lucem, ludorum puluere sancto:
Discendiq̄ viam monstramus: ciuica rostris
Fura, foroq̄ sonant iterum, legesq̄ Lycei.
Nec sumus indecores regno, nec gloria fortè
Nostra leuis: quin fama volat, rumoribus implet
Solis utramq̄ domum, et terras sub sole repostas
Longè alio: atq̄ probat studium, meritumq̄, fidemq̄.
Nec desunt qui nostra velint inuisere tecta:
Militia qui castra sequi. iam Dania caros,
Longinquum per iter, mare per, scopulosq̄ patentes
Mittit, in hos Phæbi secessus, culta Lycea.
Ergo etiam meritò tibi nunc renouamus honores,
Magne pater, diuine pater, diuine Magister:

Placamusq̄

Placamusq; pios manes, & condimus umbram:
Et praeceptoris memores noua sarta paramus.
Tu nobis, patriæq; scolæ, moremq;, modumq;
Monstrabas, dum vita fuit: sub lege tenere
Immanes scelere ante alios, & turpibus ausis.
Tu nobis qui fana deum, qui docta Lycea,
Qui populumq; tenent, Nisiq; fluenta, dedisti.
Non te, non fontes, patrij non flumina Nisi
Insletum voluere: nouus dolor attigit amnes.
Quin & venturo uiuat TROCEDORFIUS auo,
Gorlicium natale solum, post funera, clamat:
Dotesq;, rerumq; usum, meritumq; recenset,
Exhaustos ludis & per tot lustra labores.
Salue sancte parens, salue diuine Magister:
Aeternumq; uale, uale o mihi sancte Magister.

Martinus Theodorus Gorlicius,
collega docent. in schola Gork.

SPHALMATA
Typographica crassiora

In Threnis.

B. 2. facie, a, linea ultima, lege: vbi.

E. 1. f. a. l. 25. lege: admissis.

In Instauratione.

A. 4. f. b. l. 3. lege: quæ ipsa.

C. 2. f. b. l. 6. lege: ac ius.

C. 4. f. b. l. 25. lege: distincti.

D. 1. f. a. l. 27. lege: suosq.

In Apologia.

B. 2. f. a. l. 13. lege: sacram.

B. 4. f. a. l. 6. lege: commoraretur.

l. 21. lege: redditur.

B. 4. f. b. l. 4. lege: proprietatem.

C. 3. f. a. l. 32. lege: quisquis.

E. 1. f. a. l. 33. lege: Ecclesie.

E. 3. f. a. l. 13. lege: causa peccati Originalis.

F. 4. f. a. versu. 4. lege: ἐπιπέ.





4/1310

ULB Halle


3

004 579 011



ML





Farbkarte #13

B.I.G.

THRENI
SCHOLAE
GORLICENSIS,

Quibus deplorantur calamitates tempore pestis
veteres ac recentes.

Eiusdem Scholae post dissipationem

Instauratio.

Operam nauante cum collegis

LAVRENTIO LVDOVICO Leobergenfi.

Misericordiæ Domini: quod non con-
sumti sumus.

AN. CHR.

M. D. LXXXVI.

GORLICII

Excusum typis Ambrosij Fritschij

